Bibliothecae Secretae Coll. Rom. Soc. Jesu.

DIONYSII

PETAVII

AVRELIANENSIS

E SOCIET. IESV

ORATIONES

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Editio vltima auctior, & caſtigatior.



LVTETIÆ PARISIORVM,
Apud SEBASTIANVM CRAMOISY Regis
ac Reginæ Architypographum:
& GABRIELEM CRAMOISY, viâ Iacobæâ
ſub Ciconiis.

CIↃ IↃ CLIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

INDICVLVS ORATIONVM.

I. De Annunciatione B. Virginis. pag. 1.
II. De eadem. p. 23
III. De Purificatione Beatæ Virginis. 43
IV. De Aſſumptione B. Virginis. p. 60
V. De laudibus Henrici Magni. p. 71
VI. De Ludouico XIII. p. 101
VII. De contemnenda inuidia. p. 137
VIII. De adhibenda in Scholis æmulatione. p. 157.
IX. De nimia in Scholaſticis libertate coërcenda. p. 179
X. De legendi delectu. p. 202
XI. De diſcendi ratione. p. 227
XII. De Scholaſtici delectus ſeueritate, Præfatio. p. 244
XIII. Ad ſacrarum litterarum interpretationem, Præfatio. p. 254

XIV. *De liberalium doctrinarum ad Scripturam interpretandam vſu, Præfatio.* p. 267
XV. *De pellendis ab Vrbe philoſophis M. Catonis.* p. 288
XVI. *M. Atilij pro Philoſophis.* p. 306
XVII. *Carneadis pro Philoſophis.* p. 320
XVIII. *Decij Trib. Pl. contra Coriolanum.* p. 342
XIX. *Legatorum Carthaginienſium de Pace ad Senatum.* p. 350
XX. *M. Attilij contra Legatos Diſſuaſoria.* p. 360.
XXI. *A. Attilij de Pace ſuaſoria.* p. 374
XXII. *M. Attilij de Captiuis non permutandis.* p. 382
XXIII. *C. Martij captiui in Attilium.* p. 386
XXIV. *Attilij vxor ad coniugem.* p. 390
XXV. *Attily ad vxorem.* p. 394

DIONYSII

DIONYSII PETAVII AVRELIANENSIS, E SOCIETATE IESV. ORATIONES.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

De Sacro Annunciationis Myſterio, ac B. Virginis Laudibus,

ORATIO PRIMA.

Eodem illo die ab Sodali Parthenico dicta.

QVæ duæ res impedire ceteros à dicendo ſolent (Viri ornatiſſimi, vóſque Sodales amantiſſimi) eæ mihi fauent in hac oratione præcipuè, rei amplitudo, & ingenij ac facultatis inopia. Niſi enim tanta eſſet, quantam omnes ſciunt, propoſitæ rei di-

gnitas, tanta porrò imbecillitas, ac tenuitas mea; veſtrum hîc iudicium foret, mihi quidem magnopere verendum, quantum ego eſſem rei magnitudinem dicendo conſequutus. Nunc cùm & hodierni myſterij maieſtas ea ſit, quam nec maiori, quàm in me eſt, facultate præditus poſſit conſequi, & ego minimè omnium idoneus prædicandæ huic ſim adhibitus; ſpero vos & quid ego poſſim, & quantum res ipſa poſtulet, rationem habituros. Accedit & humanitas, Viri ornatiſſimi, veſtra, quòd vos tales viros facilè id mihi daturos exiſtimo, vt cuius in hoc religioſiſſimi Sodalitij collegio nomen ac mentionem conſiſtere paſſi eſtis, ibidem vocem etiam audiri non iniquo animo feratis. Sed ego compenſabo hanc inopiam meam, rerum tractandarum magnitudine, ac pretio: quibus etſi tritæ aures veſtræ ac verberatæ ſæpius ſint, ſic eas tamen habere ſtatuetis, vt illarum commendationi nihil neque oratoris infantia detrahat, neque nouitas poſſit afferre. Quare peto illud à vobis, Auditores, vti ne veſtra mens expectatióque cum hac dicentis imbecillitate potiùs, quàm cum argumenti dignitate conſentiat: vtíque in ſanctiſſimis religionibus, ac diuiniſſimis myſteriis explicandis, nihil me arceſſitum, ac reconditum, ſed quotidianum ac contritum allaturum putetis. Quæ dicam, eiuſmodi erunt, vt cognita vobis magis ac perſpecta, quàm mihi ſint; atque hæc ex conſuetudine ac ſermonibus veſtris excepta, non deprompta præcipua aliqua mea ex ſcientia atque in-

genio tradantur. Etenim cùm ego ſim à vobis hodie delectus ex omnibus, qui ſanctiſſimi diei celebritatem cum integerrimæ Dei Matris prædicatione coniungerem; habebit hæc mea vox neceſſariò communem interpretationem mentium veſtrarum, ac ſenſuum: neque vos tam quid à me inuentum noui ſit, quàm quid vtcumque à vobis traditum, à me in memoriam reuocatum fuerit, exiſtimare debetis. Et quidem ignoſcetis, opinor; Auditores! ſi cùm in ampliſſimæ Virginis laudibus, ſic quaſi clariſſima luce, retuſam, atque hebetem aciem defixerim, diſcernere aliud nihil queam, præter id quod perſpicaciſſimi ante me homines, acutiſſimíque peruiderint. Quod ipſum tamen tale eſſe ſentio, vt neque pro amore erga hanc Virginem veſtro nimium ſæpè dici; nec pro ſuo merito ac pondere ſatis explicari tractaríque poſſit. Et quoniam duo à me ſolennis huius diei religio poſtulat; non priùs, quod alterum horum eſt, de caſtiſſimæ Dei Matris, ac ſanctiſſimæ laudibus dicam, quàm illud attigero, quantum ſit hodierna die generi noſtro munus ac beneficium conceſſum. Qua in re paulo iſtud fortaſſis audaciùs, ſed ingenuè tamen dicam ac liberè. Vellem equidem quæ hîc apud vos agendæ modò ſunt, ea in communi generis humani conſeſſu ac conuentu dicerem: atque hæc mea qualiſcumque vox ad omnium mortalium aures animóſque peruaderet. Nam vobis ſanè, veſtríque ſimilibus, quibus ea ſunt aſſiduo vſu meditata, & cognita, minùs

hæc orationis pars neceſſaria videtur; quæ neque veſtra præcipuè cauſa ſuſcipitur. De ceteris primùm illud neſcias, mirandum magis, dolendúmne ſit, tam præclaras atque eximias res, aut eorum memoria atque animis excidiſſe penitus, aut ipſa etiam conſuetudine propemodum obſoleſcere: tum verò optandum in primis, atque elaborandum eſt, vt eædem diligenter pro rei opportunitate commendatæ pretium ſuum atque exiſtimationem retineant. Non ſolùm quòd per ſe turpe, atque omnino ferendum non ſit, Diuinum adeò munus & egregium obrui tanta hominum vel ignoratione, vel incuria: verùm etiam quòd nihil ſit ad erigendas excitandáſque mentes hominum præſentius, quàm vt idipſum, quod hodierna die adepti ſunt, ſeriò & attentè conſiderent. Sint ſanè, vt magna ex parte ſunt, ferrei homines, & agreſtes; ſint feroces; ſint beneficiorum immemores; ſint ingrati: vix vllum tamen fore credo, qui vt liquidò iſtud apud ſe reputet; quid ex diuino illo commercio decoris in ſe redundarit; quantum ad ſplendorem, & gloriam profecerit, quem ſit in rerum ordinem, conditionémque tranſcriptus, qui hæc, inquam, perpenderit, ac tractarit omnia, nemo erit, opinor, qui non vehementi primùm admiratione, tum incredibili tantarum rerum voluptate ac deſiderio capiatur. Si verò etiam quis ille ſtatus Mundi fuerit, animaduertat, ex quo tam admirabilis inclinatio rerum, ac viciſſitudo facta ſit, quàm deploratæ anteà res noſtræ,

quàm perculſæ, quàm [illegible]peratæ ſubitò in integrum non modò reſtitutæ ſunt, ſed & tanto commodiùs ac feliciùs conſtitutæ, nónne attenta eius rei cogitatione maximum in ſe non ardorem amoris, ſed flammam atque incendium excitabit? Mementote enim quæſo paululum, cuiuſmodi ante tempus illud præcipitantis ac ſeneſcentis mundi reliquiæ fuerint; quantúmque in hac Adami fæce peſtiferæ labis & corruptelæ reſederit: in qua nihil integrum vſquam, nihil ſincerum, nihil non communi clade ác noxa deprauatum atque implicitum fuit. Cùm velut ingentis alicuius corporis pars nulla foret, quæ non inteſtina vi letalis ac miſerrimi morbi contabeſceret. Cuius ſi nondum ſpeciem vulneráque atrociſſima vultis recordari, conſiderate ipſi vobiſcum, quis in eo tum imperium ac dominatum habuerit: dubitabit nemo qualem tunc eum fuiſſe neceſſe ſit, cùm cuius ſub poteſtate ac legibus vixerit, cogitarit. Fuit enim illud profectò tempus, fuit, quo, pulſo exterminatóque Dei imperio, ſuperbiſſimi tyranni impuriſſimo ac nefario dominatui terrarum orbis ceſſerat: quo verè mundi princeps ille in mortalium omnium ceruicibus iugum acerbiſſimæ ſeruitutis impoſuerat. Quos adeò poſſeſſioni ſuæ vendicarat ille, ac ſine controuerſia peculiares fecerat, vt is, cuius ea res erat, cùm de recuperando iure ſuo ageret, vindiciarum in eum litem perſequi noluerit. Noluerit dico? Quid ſi vltrò iſtud ipſe etiam faſſus eſt? Quid ſi, inquam, in Dæmonum

mancipio ac poteſtate eſſe mundum mundi architectus ac conditor perſæpe teſtatus eſt? Quoties eundem ob id *mundi principem* eſſe, *mundique rectorem*, aut veritatis oraculo dictum accepimus, aut diſcipulorum illius ſuffragio comprobatum? Cuius enim illa vox eſt? *Regnum meum non eſt de hoc mundo. Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit. Non pro mundo rogo:* Tum illa eius ex inſtitutis ac diſciplina profecta; *Mundus mihi crucifixus eſt, & ego mundo?* Nam innumera eius generis alia prætermitto. Ex quibus illud efficitur: alieni iuris hominum genus tum fuiſſe; & contrariæ factionis ſacrilego fœdere ac ſacramento ſic obſtrictum, nullum vt inter illos ius, ſocietas nulla, nulla conditio, nullum commercium intereſſet. Hîc ego vos hortor ac magnopere precor, Auditores, vt quæ à me dicuntur hoc loco, non ex oratione verbíſque meis, ſed de ſe, ſuíſque momentis, ac ponderibus æſtimetis. Res enim per ſe grauis, ac vehemens eſt; facultas ipſa mediocris, ac penè nulla; quæ ne mole tantæ rei obruatur penitus, maiorem in modum extimeſco. Etenim quid ad corruptum illum ac perturbatum mundi ſtatum vel declarandum efficacius, vel deplorandum acerbius, vel ad horrorem maius dici poteſt, quàm quod modò allatum, ac patefactum eſt? Eóne reccidiſſe res noſtras, vt Dei hoſtis ac perduellis homo fieret? vt cum ſceleratiſſimo prædone mortiferæ ſocietatis coitione ſuſcepta, contra parentem ſuum ac principem veniret? detrecta-

ret imperium? voluntati ac mandatis reſiſtere:? mutuis ab eo inimicitiis & capitali odio diſſideret? Non quæro quocum fœdus, atque amicitiam coniunxerit: quis ille fuerit, ac qualis omitto, cuius ſe poteſtati ac ditioni addixerit. Quanquam hoc quoque ad calamitatis magnitudinem pertinet; in eum incidiſſe potiſſimùm, qui non minore in nos quàm in Deum odio & inuidia flagraret. Sed illud, quantumcunque graue eſt, non commemoro: hoc vnum vrgeo, huic inſiſto, hoc ſum contentus vno: inimicos Dei homines atque hoſtes eſſe factos. Veſtram fidem! Auditores! quænam illa tanta mali vis ac pernicies fuit, quæ præcipiti rerum commutatione tam fœdum ac repentinum diuortium attulerit, vt à ſe productum ac propagatum hominem Deus, & eum hominem, quem tanti initio feciſſet, cui prolixè omnia cumulatéque contuliſſet, cuius vnius gratia cetera omnia procreaſſet; vt illum ipſum, inquam, à ſe penitus abalienaret, ac reiiceret; cum eo commune nihil habere vellet; ac vel nomen illius mentionémque omnem proſcriberet? Hoc quippe auctore & impulſore perfectum eſt, vt mundi appellationi (qua improborum quidem hominum, ſed hominum communitas intelligitur) perpetua dedecoris labes impoſita videatur. Quæ ne tum quidem deleri potuit, cùm interprete ac velut feciali Chriſto pace reddita, reconciliatus Deo mundus in gratiam ac concordiam receptus eſt. Nam & nunc quoque cùm *mundum* dicimus, vt aliud nihil ad-

damus, vel ipſa vox ſtatim cùm turpe aliquid & probroſum, tum verò imbutum hoſtili atrocitate, ac Deo contrarium ſonat. Quamobrem quid ea peſte fœdius ac contaminatius poteſt dici, cuius etiam repreſſæ ac reſtinctæ contagio in appellationem ipſam noménque redundarit? Hic igitur ſtatus fuit mundi totius ac naturæ; cuius hodierno beneficio finis tandem aliquis atque exitus repertus eſt. Hoc enim ipſo ſalutis noſtræ primordia ac fundamenta iacta ſunt, Auditores. Quæ cùm per ſe, atque vtcumque parta, opportuna miſeris, atque optabilis foret; tum ipſa illius comparandæ ratio multò iucundiſſima fuit, & ad hominum ſplendorem ac gloriam ſingularis. Erat illud ſanè maximum, expediri tot ærumnis homines, atque intoleranda ſeruitute ac tyrannide liberari: transferri verò inſuper in Dei regnum ac ditionem, & ad eius obſequium ac famulatum adiungi, vix erat vt illud ſibi quiſquam pro criminum atrocitate promitteret. Quid illud? Non modò extricari crudeli & iniqua dominatione? recuperare perditam libertatem? priſtinum in gradum atque ordinem recipi? ſub Dei ius ac ſuauiſſimam poteſtatem ſubiici? Verùm, quod voto omni & opinione præſtantius eſt, multo quàm antè honeſtiore & luculentiore loco eſſe? Non enim liberi ſolùm è captiuis, ſed Reges ac Principes: non ſerui, ſed filij; non alieni, ſed heredes: non famuli, ſed propinqui, ſed fratres, ſed conſanguinei: plus aliquid dicam, non iam homines, ſed Dij: Dij,

inquam, ſumus ex hominibus hodierna primùm luce facti. Quis hoc non dictu incredibile, ac monſtri vel portenti ſimile iudicabit, ſi non perſcriptis diuinæ vocis auctoritatibus eſſet approbatum? Ecquid verò ſæpiùs in his conſignatum, ac conteſtatum reperies, quàm hoc ipſum; filios eſſe nos Dei; conſortes ſcilicet Filij eius, ac ſocios; atque ab eodem adoptionis iure non modò ad hereditatis ac patrimonij ſocietatem, ſed & communionem quandam diuinitatis aſcitos? Quorum omnium expreſſis veterer ac conceptis ſententiis, ſi non tritæ omnium vſu eſſent ac peruulgatæ: vt de eius rei veritate ne dubitari quidem poſſe ſine ſcelere ſummo ac flagitio videatur. Quæ cùm intelligimus, ac perſpicimus animo, quid agimus? quid ſentimus, Auditores? Poſſumus tam inuſitatæ rei, tam inſignis, tam excellentis magnitudinem capere? Cur non totos nos, ſpretis contemptíſque ceteris, tam inauditæ gloriæ ac dignitatis admiratio defixos atque occupatos tenet? Hæc quidem olim veteres illos ſanctiſſimos viros perpulit, vt abiectis ac repudiatis opibus, deſtitutis parentibus, patria, atque hominum frequentia relicta, ſeſe in ſpeluncas ac ſolitudines coniicerent: ibíque dies ac noctes cibi ac potus obliti perpetuò ſe in vnius huius rei contemplationem intenderent. At videte mihi ſubitò illud, Auditores, quantopere rei iſtius tractatio ad incitandos, atque extra ſe rapiendos quodammodo animos efficax ſit ac potens, cùm vel delibata modò leuiter, ob-

litum inſtituti ac conſilij mei, hortatorem pro interprete veſtro, atque officij magiſtrum reddiderit. Atqui nihil hîc mea vobis cohortatio, vt initio dixeram, eſt neceſſaria; gratulatio verò magis adhibenda, quòd ea vos, quæ tam acri contentione verborum probare vobis ſtudeo, multò factis ac re ipſa magis exprimatis: vt ſi quas habere faces ad inflammandum viſa eſt hæc orationis meæ pars, hæ ex quotidiano veſtro ardore accenſæ, afflatæque potiùs ſint, quàm vt illi ex iis noſtris ſcintillis atque igniculis quicquam poſſit accedere. Hoc cùm facitis (Sodales amantiſſimi) cùm vos diuinæ huic neceſſitudini non cogitatione ſolùm accommodatis, ſed eam vitæ integritate, morum innocentia, imitatione parentis veſtræ, totius vitæ diſciplina ac ſtudiis repræſentatis, præcipuo illud quodam iure veſtro ſuſcipitis, ac ſingulari. Non enim vulgari illa ac communi ratione vobis cum Deo propinquitas ea conſtituta eſt; ſed priuato etiam nomine arctiori cum illo ac ſanctiori fœdere eſtis obſtricti. Vt enim ampliſſima Dei Mater, tametſi Chriſtianorum omnium parens ac Regina dicatur, vos omnes tamen præcipuè hoc nomine atque officio complectitur, qui ad domeſticum veluti ius illius eſtis, & familiam aggregati: ſic ille Matris veſtræ filius ita mortalium omnium propinquus eſt, vt ad vos, propter parentis ſuæ neceſſitudinem, propria quadam germanitatis ratione pertineat. Defendite vobis hanc laudem, Sodales optimi, atque ad præſentis diei prædicationem & lætitiam præ-

clarum hoc decus ac beneficium adiungite. Nimirum ille maternum huic Virgini nomen, atque eundem cum Deo patre filium dedit: vos cum vtroque, matre ſcilicet, ac Filio, propiori ac certiori cognatione deuinxit. At cuius demum Filij? cuius Matris propinquos ac neceſſarios vos facit? De Filio dicere hoc loco non debeo, & ſilentio illum meliùs quàm voce ac ſermone prædicabo. De Matre tametſi alterum hoc dici conuenit, ſilere idcirco non poſſum, quòd quid illa hodierna luce adepta ſit, dicendum mihi orationis meæ altera parte conſtitui: quæ ne ipſa quidem à priore ſeiunctum aliquid ac ſeparatum continet. Siue enim materna laus omnis & amplitudo ad ſplendorem filiorum pertinet; ſiue quicquid in eam diuinitus collatum eſt, illud & noſtra cauſſa conceſſum, & ad vſum noſtrum atque commodum profuſum eſt: profectò ſi quid de eius ornamentis attigero, neceſſe eſt æquè eſſe cum noſtris rebus & rationibus implicatum. Animaduerto, Auditores, vehementérque ſentio quem ſim modò orationis locum ac ſermonem ingreſſus. Nolo enim me tam abſurdum aliquis ac parum intelligentem exiſtimet, vt quantum mihi onus impoſuerim, neſciam, tam præclaris de rebus támque eximiis dicendi. Ego verò ſic in ea parte verſabor, itáque quid illo die auguſtiſſima Dei Mater obtinuerit, exponam, non vt illud accuratè ac penitus introſpiciam, ſed, quod in priori à me parte factum meminiſtis, adumbrem ſumma capita rerum atque indicem, vós quod à me per-

curſum ac delineatum fuerit, expoliturος confidam. Num enim ignorare poſſum quantum ei voci, *Quid ſit conſequuta Dei Mater*, vis ac poteſtatis ſubiaceat: aut non eiuſmodi eſſe illud intelligo, quò nulla hominum, aut etiam Angelorum ratio ac ſolertia pertingat? Vt intelligere me ſciatis: primùm ita ſtatuo: Sic illius dignitatem ex hoc die cum diuina permixtam ac coniunctam fuiſſe, vt eadem, propè dixerim, ac communis ambobus eſſe cœperit: vt quicquid ad infinitam huius amplitudinem conueniat, id alteri quodammodo poſſit attribui. Nimiùm multa fortaſſe dixiſſe videri poſſum, atque in laudanda Virgine modum nullum ac menſuram tenere. Sed iis duntaxat videbor, qui materni nominis vim ac pondus æſtimare nequeunt: quíque quod ex eo conſequens ac conſentaneum ſit, vel propter imbecillitatem non vident, vel tractandi aſſiduitate negligunt, vel infuſcati inuidia ac maleuolentia diſſimulant. Apud vos quidem cùm diſputo, quibus & ad rem tantam diſcernendam ingenij motus excellens, & ad exiſtimandam acre ac ſubtile iudicium, & ad agnoſcendam ac confitendam denique, amor in illam, ac voluntas ſuppetit, nõn vereor, ne me plus æquo indulſiſſe huic præconio iudicetis. An cùm ſe in huius hodie Virginis vterum diuina maieſtas inſinuauerit; cùm fragilitatis noſtræ ſpeciem de illius ſibi corpore ſumpſerit; cùm eius filius eſſe, ac de ea naſci voluerit; dubitare quiſquam audebit, quin ſecum Matri Filius ornamenta omnia dignitatis, atque inſignia commu-

nicarit? Quid eſt Deo melius illud ac præſtantius, quod, cùm ſeipſum in eam totum transfunderet, nominatim exceptum ac ſibi reſeruatum eſſe voluerit? Quin enim totum ſe Deus in Mariam tranſtulerit, negabit is ſolùm, qui vel Dei matrem non fatebitur, vel Dei aliquid eſſe, quod à Deo ſeparari poſſit, vaniſſima ſibi opinione finxerit. Quod vtrumque quia pari eſt impietatis labe atque inſaniæ ſuffuſum, audacter de ea, ac libera voce profitebimur: exceſſiſſe Dei matrem humanæ conditionis captum, ac ſupra creatarum rerum ordinem euectam, quandam veluti diuinitatis ſortem ac communionem attigiſſe. Ex quo illud effici neceſſe eſt; quemadmodum Dei filius naturam ex ea noſtram & conditionem traxerit; ſic eam viciſſim ſuarum rerum, atque, vt ſic dicam, fortunarum omnium ſociam ac participem feciſſe. Vultis ampliùs etiam aliquid dicam? quanquam ſileri iſtud fortaſſe melius eſt; neque enim quam accepturi ſitis in partem quæ dicturus ſum, ſcio. Verùm audendum ſanè nihilominus eſt, idque adeò vos ex omnium vultu attentionéque veſtra non nolle coniicio. Quidnam igitur illud eſſe poteſt? Quod ſpecie quidem audax, ac dictu temerarium eſt: re vera tamen iis, quæ ſunt hactenus à me dicta, conſentaneum & proximum. Mihi quippe non ad diuinæ tantùm maieſtatis faſtigium euolaſſe Virginis noſtræ dignitas videtur, ſed etiam (quod bona veſtra cum venia dicere liceat) diuinum prætergreſſa numen altiùs quodammodo conſtitiſſe. Quæ dum à me

auditis, facite quæſo, vt materni iuris ac poteſtatis veniat in mentem. Cogitate ſingularem materni vim & auctoritatem nominis, ac quid valeat, ſignificationéque ipſa præ ſe ferat, attendite. Nónne matrem cùm dicimus, ſtatim aliquem eſſe filium cognoſcimus, quo ſit illa ſuperior? quem ſe illi ſubiicere ac parêre deceat? cuius voluntate poſteriorem eſſe velit atque exiſtimet ſuam? Ergo & cùm Matrem appellamus Dei, ineſſe hæc omnia neceſſe eſt, vt, ne minus aliquid quàm ceteræ matres obtineat, inferiorem ſibi aliqua ratione Deum habeat, & ſupra illum vox ipſam Matris appellatióque conſtituat. Sed ſi parum prudenter, periculoſéque à me dictum illud exiſtimetur, Auditores, non equidem magnopere pugnabo: illud ſaltem prius tenebo perilluſtre & honorificum, méque ad eandem quaſi cum Deo maieſtatem ac gloriam reuocabo. Iam hoc quàm infinitum, quàm vaſtum, quàm longè latéque diffuſum, quàm nullo exitu circunſcriptum, per me ipſe quidem ſatis animaduerto: cuiuſmodi verò illud ſit, oratione complecti, ne vos quidem poteſtis, Auditores: cogitare & vtcumque progredi, quia meliùs quàm ego id facere poteſtis, perfunctus hac mea adumbratione atque iudicio permitto. Quod à me paulò ſuperiùs allatum eſt, vnius vobis auctoritate ac ſententia confirmo. Atque eum vobis teſtem ac ſuffragatorem adducam, quem propter diuinarum rerum exquiſitam ſcientiam tanquam Theologiæ Dictatorem vulgò omnes ſuſpiciunt. Aquinatem illum Tho-

mam intelligo, virum maximum, ac celeberrimum Doctorem. Cuius ex oraculis (pro iis enim decreta illius haberi in Scholis audio) ſed illius ex ſcriptis vox quædam vſurpari ſolet ad diuinam Virginis præſtantiam commendandam propè ſingularis. Sic enim ſcripſit: res ſecundùm Deum infinitas cenſeri præcipuè duas; alteram videlicet, aſcitam à Chriſto naturam hominis, atque eâdem cum Deo perſonâ atque hypoſtaſi deuinctam; alteram, ipſammet Dei matrem ac Virginem; ex qua primum illud exemplar infinitæ rei infinita quoque neceſſariò & ipſa prodierit. Hæc ille. Quorum proculdubio ea vis eſt: quandoquidem caducæ res omnes atque infimæ deſignatæ certis ſpatiis, ac finitæ ſunt; ſolum autem hoc, quod diuinum eſt, immenſum atque infinitum putetur; cùm infinitum aliquid maternum Virginis decus illud dicitur; Diuinum quoque eſſe iudicandum. Mea enim denique hæc oratio eſt: vti ſi quis ad Solem acceſſerit, neceſſe ſit quidem radiis ac luce colorari: idem verò ſi Solem etiam ipſum in ſe poſſit recipere, non iam particula aliqua luminis, ſed toto ipſo Solis ſplendore colluceat: ita poſteaquam in Mariam tota ſe, quanta quanta eſt, diuinitas immiſit, deinceps illam, offuſa & abſorpta mortali luce, aduentitio ac cæleſti ſplendore micuiſſe. Sic igitur cùm hoc hoſpitium ſibi Deus, ac domicilium ſumpſiſſet, expreſſam in eo ac ſolidam effigiem reliquit numinis ſui, amplitudinis, potentiæ, claritatis, virtutum & ornamentorum omnium. Quæ vt nume-

ro penitus infinita ſint, duobus tamen potiſſimùm *bonitate* ac *potentia* continentur. Has inſignes & proprias eſſe Dei notas vulgò omnes conſentiunt, cùm Deum Optimum Maximum communi vſu ſermonis nominant. Nam cùm Optimum vocant, bonitatem eius ac beneficentiam intelligunt: Maximum verò propter vim præſertim ac potentiam appellant. Quamobrem ambo illa videamus breuiter quàm in beata Dei Matre ad illius exemplar inſignita ac conformata fuerint. Ac quod ad poteſtatem pertinet, non illud tantùm commune valet, quod ad Sanctos æquè omnes pro rata meritorum portione conuenit; omnia vt ob id poſſe cenſeantur, quòd apud omnipotentem Deum nihil non auctoritate & potentia perficiant. Magnum iſtud quidem, atque ad gloriam & commendationem ſatis amplum; ſed vulgare tamen ac commune, vti dixi, cum ceteris. Tametſi, vt iactare me in hac parte velim, quantum præ omnibus Dei parens iſtius ſibi iuris vſurpet, nemo veſtrûm non videt. Sed omittatur iſtud in præſens, ſic vt intuentes tamen ac reſpectantes tranſeamus. Suum hîc à me Dei Mater ac ſingulare præconium deſiderat: nihil vſitatum ac tritum, nihil niſi rarum, niſi non conceſſum aliis, atque eximium requirit. Plurimum apud Deum ſuffragatio eius, & auctoritas valet? Mediocre. Præeſt illa cælo, terríſque, ac longè latéque imperat? Vulgare. Dicam amplius: Poteſt momento quicquid libuerit, ac nullo negotio efficere? Et hoc nihilominus adæquandæ tantæ poteſtati non-

nondum ſufficit? Quid tu tandem afferes? An eſt in Diuina potentia aliud quò ſe poſſit extendere? Niſi fortè procreatricem illam generis humani ac rerum omnium facis: quod ei ſaltem vnicum ex illa poteſtatis immenſitate denegatum eſt, & quidem, vt videtur, præcipuum. At ego reliquis prætermiſſis, de hoc vno contendo. Doceo ne iſtud quidem ab tot ac tam illuſtribus titulis eius abfuiſſe. Vtrúmne tandem per veſtram fidem, Auditores, creatum humanum genus tum putatis, cùm in communem hanc cum belluis lucem à Deo eſt productum? an potiùs cùm idem Dei filius perditum & afflictum aduentu ſuo ac potentia recreauit? Profectò, ſi benè vos noui, quod veſtrum de ea re ſit iudicium intelligo. Non enim ignorabitis id quod nos quotidie in ſcholis diſcimus: in quo ſit vera hominis vita poſita: quídve illud ſit, quo ſtante atque incolumi perſiſtat; cuius occaſu atque interitu occidere eadem atque interire dicatur. An ego id in homine viuere appellem, quòd reſpiret? quòd ſentiat? quòd moueat ſeſe? quòd cibo ac potu fruatur? Intro etiam magis. Nego eam vitam eſſe hominis; occupari in diſciplinis atque artibus; ordinare reſpublicas; rerum omnium inquirere ac perueſtigare rationem. Nego eum viuere qui hæc ſola faciat, qui ſine conditoris ſui notitia degat interim; qui ſe ad corporis voluptates abiiciat; qui rectè & honeſtè viuendi modum non teneat; qui in tenebris vitiorum, & ſordibus obſoleſcat. Viuit ille, qui præcipua ac potiſſima ſui parte viuit; cuius mens

atque animus integer eſt; qui rationem ducem ſequitur; qui honeſtatis iter ac virtutis arripit; qui ad agnitæ immortalitatis ſpem animo ac deſiderio contendit. Eiuſmodi ſi homines ſine Dei aduentu eſſe potuerint, vixiſſe tum illos non negabo. Sin longè diſſimilis prior ille mundi ſtatus fuit; ſi & auctoris ſui ac parentis maleficio oppreſſi, & priuatis ſceleribus confoſſi homines miſerrimo exitio conciderant: ſi, quod antea demonſtratum eſt, mortis & Diaboli iugo ac ſeruituti ceſſerant, quid eſt quòd vitâ penitus excidiſſe dubitemus? Rurſus verò ſi hæc omnia Chriſti operâ ac labore reſtituta ſunt; ſi & nefariæ tyrannidis iugum à ceruicibus noſtris deiectum; ſi pulsâ fugatáque vitiorum nocte, vera lux mentibus noſtris illata; ſi ad vitam denique illius beneficio ſumus à morte reuocati: nónne tum demum nouo quodam ſatu editi ac procreati fuimus? Alterum enim horum vtique dici neceſſe eſt, vel nunquam introductam in mundum eſſe mortem; vel quoniam mortui erant omnes, eſſe tum quodammodo defiiſſe genus hominum, ac denuo, vt eſſe poſſet, excitari poſtmodum debuiſſe. Quamobrem confecta mihi propemodum cauſa eſt, Auditores. Oſtendam enim quod facillimum eſt, ad vitam hominum poſtliminio recuperandam, hoc eſt, vt modò declaratum eſt, procreandos iterum homines, adminiſtram Dei Virginem & ſociam extitiſſe: omnem huius rei procurationem illius operâ atque interuentu ſuſceptam; ſine ea geſtum & confectum nihil: audaciùs dicam; geri etiam ni-

hil ac confici potuiſſe. Cuius rei fides non aliunde, quàm ex hodierni diei religione petenda eſt. Fuerat is hactenus rerum humanarum ſtatus, quem nos initio orationis expoſuimus. Huic cùm remedium atque opem afferret Deus, erat omnino opitulandi ratio vna longè optima; vt ad nos Filium ſuum allegaret, hominémque eſſe vellet: quo & paria ſecum omni ex parte Diuina iuſtitia faceret, & cum infinita ſcelerum grauitate infinita piacula compenſaret. Quærebatur par tantæ amplitudini ſuſtinendæ mulier, cuius è corpore corpus ille ſibi noſtrum effingeret: ſimul quod ad remedij ſummam pertinere putabatur, vt quemadmodum mulieris olim culpâ letiferum nobis vulnus eſſet inflictum, ſic eidem mulieris virtute atque obſequio ſuccurreret. Oblata igitur ea tandem eſt, ac longo interuallo reperta. Sed ſine illius voluntate ac conſilio nihil ageret Deus. Quare ad eius animum tentandum cæleſtis internuntius & interpres mittitur. Offert ſe ille Virgini: ſalutat; quæ in mandatis habebat, exponit; quid renunciari velit, interrogat. At illa nutans atque hæſitans ſilet: & ſiue hoc moderatione animi, ſiue metu temeritatis facit, ſilet tamen, ac ſe ſuſtinet. Quid cunctaris? quid hæres, Virgo ſanctiſſima? quin tu cæleſtibus monitis obtemperas? quin inſtaurandæ hominum ſalutis occaſionem arripis? Perfici abſque te nihil omnino poteſt. Niſi tu enim ad partem causámque deſcenderis, ſpes eſt omnis mortalium generi ſalutis erepta. Nónne cùm hæc attenditis; dum

atque animus integer eſt; qui rationem ducem ſequitur; qui honeſtatis iter ac virtutis arripit; qui ad agnitæ immortalitatis ſpem animo ac deſiderio contendit. Eiuſmodi ſi homines ſine Dei aduentu eſſe potuerint, vixiſſe tum illos non negabo. Sin longè diſſimilis prior ille mundi ſtatus fuit; ſi & auctoris ſui ac parentis maleficio oppreſſi, & priuatis ſceleribus confoſſi homines miſerrimo exitio conciderant: ſi, quod antea demonſtratum eſt, mortis & Diaboli iugo ac ſeruituti ceſſerant, quid eſt quòd vitâ penitus excidiſſe dubitemus? Rurſus verò ſi hæc omnia Chriſti operâ ac labore reſtituta ſunt; ſi & nefariæ tyrannidis iugum à ceruicibus noſtris deiectum; ſi pulsâ fugatáque vitiorum nocte, vera lux mentibus noſtris illata; ſi ad vitam denique illius beneficio ſumus à morte reuocati: nónne tum demum nouo quodam ſatu editi ac procreati fuimus? Alterum enim horum vtique dici neceſſe eſt, vel nunquam introductam in mundum eſſe mortem; vel quoniam mortui erant omnes, eſſe tum quodammodo deſiiſſe genus hominum, ac denuo, vt eſſe poſſet, excitari poſtmodum debuiſſe. Quamobrem confecta mihi propemodum cauſa eſt, Auditores. Oſtendam enim quod facillimum eſt, ad vitam hominum poſtliminio recuperandam, hoc eſt, vt modò declaratum eſt, procreandos iterum homines, adminiſtram Dei Virginem & ſociam extitiſſe: omnem huius rei procurationem illius operâ atque interuentu ſuſceptam; ſine ea geſtum & confectum nihil: audaciùs dicam; geri etiam ni-

hil ac confici potuiſſe. Cuius rei fides non aliunde, quàm ex hodierni diei religione petenda eſt. Fuerat is hactenus rerum humanarum ſtatus, quem nos initio orationis expoſuimus. Huic cùm remedium atque opem afferret Deus, erat omnino opitulandi ratio vna longè optima; vt ad nos Filium ſuum allegaret, hominémque eſſe vellet: quo & paria ſecum omni ex parte Diuina iuſtitia faceret, & cum infinita ſcelerum grauitate infinita piacula compenſaret. Quærebatur par tantæ amplitudini ſuſtinendæ mulier, cuius è corpore corpus ille ſibi noſtrum effingeret: ſimul quod ad remedij ſummam pertinere putabatur, vt quemadmodum mulieris olim culpâ letiferum nobis vulnus eſſet inflictum, ſic eidem mulieris virtute atque obſequio ſuccurreret. Oblata igitur ea tandem eſt, ac longo interuallo reperta. Sed ſine illius voluntate ac conſilio nihil ageret Deus. Quare ad eius animum tentandum cæleſtis internuntius & interpres mittitur. Offert ſe ille Virgini: ſalutat; quæ in mandatis habebat, exponit; quid renunciari velit, interrogat. At illa nutans atque hæſitans ſilet: & ſiue hoc moderatione animi, ſiue metu temeritatis facit, ſilet tamen, ac ſe ſuſtinet. Quid cunctaris? quid hæres, Virgo ſanctiſſima? quin tu cæleſtibus monitis obtemperas? quin inſtaurandæ hominum ſalutis occaſionem arripis? Perfici abſque te nihil omnino poteſt. Niſi tu enim ad partem causámque deſcenderis, ſpes eſt omnis mortalium generi ſalutis erepta. Nónne cùm hæc attenditis; dum

trepidantem, dum cunctantem, dum attonitam aſpicitis, etſi confecta iam re, tamen pro periculi magnitudine nonnihil metuitis? Quid enim ſi aſſentiri illa noluerit? ſi ſe imparem tantæ rei & indignam dixerit? (Scimus enim de ſe quàm demiſsè, atque humiliter ſentiat) quid nos tandem agemus? Ad quem excluſi hoc neceſſario præſidio confugiemus? Cuius opem atque auxilium implorabimus? Quid aliud eſt Deum eſſe ſi hoc non eſt, habere aptas ex ſeſe ac ſuſpenſas hominum expectationes; vnam omnes intueri; vnius ex nutu ac voluntate pendere; in eius arbitrio eſſe, conſeruari velit hominum ſtirpem, an perire funditus atque in inueterata ac diuturna clade perſiſtere? Cuiuſmodi enim illud eſt quod cæleſti nuncio reſponſum dedit? *Fiat*, inquit, *mihi ſecundùm verbum tuum*. Hoc eſt exeant in lucem, ac reuocentur vniuerſa: recreetur mortale genus ſuâpte culpâ profligatum: reddatur aliquando miſeris ſalus, captiuis libertas; medicina languentibus, lux cæcis, maleficis venia, vita mortuis: reconcilietur auctori ſuo progenies hominum: veteres inimicitiæ ſoluantur: nouo atque inaudito cæli terræque commercio, homo ſe ad Deum erigat, Deus ad hominem deſcendat. Hac voce, ac pauciſſimis his litteris hæc omnia hodierna luce ſcitote eſſe perfecta. Quâ quidem, Auditores, conceſſum ſibi creandi munus illud ac facultatem oſtendit. Nam quid aliud fecit tum cùm res omnes initio condidit Deus, niſi hoc, quod illa modò, dixit? *Fiat lux*. *Fiat firmamen*-

tum. Ergo vt illorum propterea creator atque opifex vocatur, quòd ad illius vocem illico ſint omnia conſequuta, ſic cùm ad beatæ Virginis eandem vocem quæ dixi antè omnia ſucceſſerint, creata quodammodo ab illa, ac reformata eſſe cenſenda ſunt. At etiam incredibiliter ad id quoque ratio temporis facit: quòd eâdem luce cæleſtis illa Mariæ denuntiatio facta creditur, quâ cæli à Deo terræque fundamenta ſunt iacta. Hunc enim ſapientes memorant primum illuxiſſe mundo diem: atque hoc communi naturæ ſignificatione comprobari putant. Nam & Sol tum primùm ad ſuas metas regreditur, annuo orbe deſcripto: & vernis temporibus laxata tellus, ac velut hilarata parturit fetus: & beſtiarum, ac volucrum animantiúmque genus omne paſſim volitat ac geſtit. Vt dum quaſi ſenio depoſito quandam ad iuuentutem natura omnis reuertitur, ortus ſuos ac prima illius temporis incunabula demonſtret. Quamobrem percommodè hoc ipſum cecidiſſe videtur, idem vt ille dies recreandi mundi initium eſſet, qui creandi ac propagandi olim fuiſſet. Quo ex amborum natalium contextu illuſtrior nobis ac iucundior debet videri. Siquidem homines quicquid commodi, quicquid gloriæ, quicquid ſplendoris, quicquid in hac vita ſpei, in altera fructus atque amplitudinis adepti ſunt; totum illud cùm ab eo primùm die cœptum, tum ex ea ſacroſanctæ Virginis voce ac conſenſu profectum eſt. Quæ quia ſunt eiuſmodi, videor propemodum omni hoc meo labore dicen-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

di, atque officio perfunctus. Vt quoniam duo mihi diuinitatis indicia, in potentia ac bonitate definieram, cùm de beatæ Virginis poteſtate hactenus dictum ſit, nihil de altera ampliùs, quàm quod allatum eſt, explicandum videatur. Præſertim cùm ambæ ſint, vt in Deo, ſic in Dei Matre, coniunctæ ac promiſcuæ partes, & ad hominum ſalutem ac beneficentiam ex æquo pertineant. Quare ſint illa tractatione coniuncta, quæ vſu atque officio copulantur. Niſi forſitan maius aliquid ad munificentiam ac diuinius cogitari poteſt, quàm quod ſuprà commemoratum eſt; huius virtute ac potentia ſpem ſalutis hominibus, vitæ, immortalitatis, gloriæ, dignitatis erectam: huic quòd viuimus, quòd ſuperſtites ſumus, quòd non delictorum moli ac ponderi ſuccubuimus, quòd non miſerrimo exitu concidimus, referri acceptum oportere: aut cùm ita prædicatum eſt; vnico eius verbo allectum in terras Dei filium. Ex quo quæ infinitæ ad hominum genus opportunitates, ac commoda peruenerint; eadem quoque, cuius ille filius eſt, ſanctiſſimæ Virgini profectò tribuenda ſunt. Non vereor ne poſt tanta, tam ampla bonitatis ſigna, priuata quiſpiam ac noua in dies ad diuinitatis indicium requirat; aut de immortalibus illis beneficiis à me aliquid expectet; quibus cùm omnes communiter, tum priuatim ſingulos allicere ac complecti quotidie ſolet. Simul illud intelligo, reſeruandum aliquid eorum orationi, qui poſt me ex hoc loco de eadem Virgine dicturi ſunt. Quibus ne

præripiam, ac prægustem omnia, (quanquam perſequi omnia ne percenſendo quidem licet) ſed vt ornatiùs, quàm vt à me præſtari poſſe ſentio, eadem ab iis illa narrentur, ſileri ac prætermitti ſatius exiſtimo. Ego, quia ſatis iam vos in contemplanda ſacræ Virginis, atque huius diei maieſtate detinui, deſinam abuti veſtris auribus diutius, vóſque cum eorum, quæ dixi, cogitatione ac fructu; eorum verò, quæ prætermiſi, ſpe atque expectatione, domum dimitto.

DE EIVSDEM BEATÆ Virginis Laudibus,

ORATIO SECVNDA.

Illo ipſo Annunciationis die in Parthenice Sodalitio ab vno è Sodalibus dicta.

FELICI prorſus ac diuina opportunitate factum arbitror (Viri grauiſſimi, vóſque maximè Sodales cariſſimi) vt in ipſo naſcentis Sodalitij exortu dicere inſtituenti mihi, cum recenti hac & celebri gratulatione ſollemnis lætiſſimi, ac fortunatiſſimi diei religio iungeretur. Certiſſimum enim eſt profectò, quod de eo ſacrorum librorum auctoritate didicimus, primum hunc extitiſſe diem, quo cæleſti fœta par-

tu, grauidatáque virgo, vnà & Dei mater eſſe ſalua atque integra caſtitate cœpit, & miſeris deſperatíſque rebus noſtris primam recuperandæ ſpem ſalutis aperuit. Atque etiam eundem ipſum olim fuiſſe memorant, quo multis antea ſæculis condita à Deo rerum vniuerſitas eſt, ac cœli terræque, & elementorum omnium primordia conſtituta. Quare cùm & naturæ totius, & maternæ amplitudinis in Virgine, & venerationis noſtræ in vnum quidam velut natales conuenerint: apparet, ei qui huius diei ſplendorem adæquare dicendo voluerit, cùm omnia maximè, tum poſtrema hæc certè duo oratione eſſe complectenda: vt & ſacroſanctæ Virginis gloriam exquiſitis laudibus efferat, & de huius inſtituto Sodalitij dicat, quæ accommodata huic tempori, & ad veſtram omnium expectationem idonea videbuntur. Ego verò qui alterius orationis, prædicationíſque difficultatem intelligam; quíque nihil in præſtantiſſimæ Virginis laudibus mediocre, aut eiuſmodi eſſe ſciam, ad quod inopia mea ac tenuitas adhæreſcat, mihi eas in præſentia omittendas eſſe duxi: vt cùm in illius patrocinio duntaxat, cultúque commendando orationem poſuero, ſic, quaſi qui iuxta litus nauigant, nequaquam me in immenſum illud ac profundum mare committam. Cui quidem & illud ad deterrendum accedit, quòd vt eo maximè argumento vti velim, nihil tamen à me commemorari poſſit, quod non ab aliis ante me plurimis, grauiſſimíſque præconibus fuerit occupatum.

Etenim quis vnquam noſtris, hoc eſt Chriſtianis ex hominibus, aliquo in numero fuit, qui ſi de Chriſtiana pietate ac fidei noſtræ religione elucubraret aliquid, non in celebrandam ornandámque Dei Matrem bonam argumenti ſui partem, atque operis conferret? Aut cuiuſnam ex *ſanctiſſimis* illis, & eloquentiâ ſapientiâque celeberrimis Patribus non inſigne in ſcriptis aliquod extet de eius ornamentis, ac ſingulari dignitate teſtimonium? Ita fit, vt cùm propè omnem vim ſententiarum, ac verborum, quæ in eas comparari poſſunt, alij ante me conſumpſerint, nihil mihi niſi vulgare ac tritum, nihil quod à vobis lectum auditúmque ſæpe non ſit, de illius laudibus ad dicendum relinquatur. Igitur quod huius præſertim, vti dixi, Sodalitatis magis initij proprium atque originis videtur, ego mea oratione attingam potius: ac primùm quid ex hoc facto veſtro, profeſſionéque in recentem hanc familiam nominis ſitis aſſecuti, tum quæ veſtræ ſint partes, quibúſque officiis initam hanc cum Diuina parente pietatis ac religionis neceſſitudinem colere ac fouere oporteat, explicabo. Hoc ego pleriſque maximè veſtrûm, quibus nouum hoc atque in hanc diem inuſitatum acciderit, non modò gratum futurum, ſed & fructuoſum omnino, ac neceſſarium confido. Etenim magnopere ſanè omnibus nobis, qui ſelecti ex adoleſcentum numero, atque adſcripti in hunc gregem fuimus, elaborandum puto; vt de eo, quod diuinitus oblatum nobis eſt, mediocre nihil,

aut vulgare; ſed præclarum, illuſtre, ſingulare, magnificum, atque eximium ſentiamus. Sic enim habetote (Sodales optimi) quo primùm die incredibilis quidam ac ſingularis Dei fauor ad eum cœtum nos ac conſortium aggregauit, ſacratiſſimæ integerrimæque Virginis intimos ac domeſticos eſſe cœpiſſe, atque in illius rem quodammodo poſſeſſionémque tranſcriptos. Satis hoc vno verbo, vel vt aliud nihil dicam, intelligitis quantum honoris ac ſplendoris ex hoc vnò: quantum vtilitatis, quantum auxilij ac ſecuritatis acceſſerit. Niſi fortè aut ſecundùm Deúm immortalem Dei matre maius quicquam, & glorioſius cogitare; aut benignius atque humanius experiri; aut eius denique patrocinio tutelâque præſentius comparare nobis poſſumus. Quare vti regum & principum ſerui eo gloriari, atque efferre ſeſe ampliùs ſolent, quo plus ij poteſtatis atque amplitudinis habent, quorum ſe famulatui atque obſequiis addixerunt; ſic cùm in eius hodierna die familia numeremur, quæ cæli terræque imperatrix, ac domina, eadémque præpotentis Dei mater & Virgo ſit, quo nos tandem eſſe animo decet? quânam hoc tantum tam inſigne beneficium gratulatione proſequi? quibus compenſare officiis, niſi ingrati eſſe volumus, debemus? Eſt illa quidem communis Chriſtianorum patrona omnium atque princeps, cuius ad omne genus hominum immenſa quædam largitatis vis ac munificentiæ pertingit. Sed vt iidem illi, quorum proximè exemplo

vſus ſum, imperatores ac principes tametſi ſubiectos ſibi omnes imperio ſuo ac ditione comprehendant, eos tamen ad ſeſe potiſſimùm pertinere putant, quos ad domeſticum conuictum, ac contubernium adhibuerunt: ſic Chriſtianorum illa moderatrix ac regina, quos ex omnibus in comitatum veluti ſuum ac clientelam receperit, præcipua quadam ſibi ratione tuetur ac vindicat. Quare ita de ſe vnuſquiſque deinceps noſtrûm quaſi aliena de re ſtatuat, nec ſui ſe arbitrij aut voluntatis eſſe, ſed in alterius ceſſiſſe mancipium ac poteſtatem arbitretur. Quòd ſi quid fortè vel generis ex claritate, vel fortunarum amplitudine conceſſum ſibi præ ceteris ad ſplendorem decúſque videat; intelligat, ex quo cenſeri tam nobili, tam illuſtri ſeruitute cœperit, reliquum omne diſcrimen eſſe ſublatum. Vno eodémque ſacramento obligati omnes, & obſtricti fuimus, eiuſdem nos cæleſtis Dominæ miniſtri ac ſatellites ſumus: eadémque proinde ex eo nobilitatis in omnibus, nec diſſimilis conditio. Cùm ad Salomonem olim videndum Sabæorum regina ex vltimis Æthiopiæ finibus veniſſet, ita ex admiratione ingenij, ac tantæ ſplendore poteſtatis obſtupuit, felices vt illius omnes ſeruos, atque aſſeclas, & beatos diceret, quòd profluentem quotidie ex illius ore ſapientiam, in tanta bonorum affluentia perciperent. Nobis non multo illud magis vſurpandum erit? non nobilior, non glorioſior, non honeſtior longè noſtra illa ſeruitus exiſtimabitur? Iniu-

riam tam eximiæ maieſtati faciam, ſi aut Salomonis, aut cuiuſquam cum ea mortalium opes, ac virtutis ingeniíque ornamenta conferam. Quis enim niſi temerè Dei matris potentiam ac dignitatem æſtimet? Quis illius amplitudinem cogitatione definiat, quæ conditorem rerum omnium moderatorémque cum æterno Patre Filium caſtiſſimis viſceribus, nulla pudoris átque integritatis labe conceperit? Quæ eum cuius nutu terræ ac maria continentur, qui perpetuas ſempiternorum orbium viciſſitudines, deſcriptiones ſiderum, pulchritudinem illam mundi ac rerum omnium venuſtatem, admirabilem ſingularum partium, & immutabilem ordinem varietatémque temperauerit: cuius quidquid vſpiam immortale, aut caducum eſt, vt imperio eſt ac voluntate factum, ſic adminiſtratione ac prouidentia gubernatur: immenſum, inquam, illud atque infinitum numen, ſacris vteri anguſtiis clauſum, vt antè, ſic poſt editum virgo, deinceps etiam mater ediderit? Poteſt verò opum illius magnitudo ratione vlla colligi, cuius in poteſtate arbitrióque præter ſe vnum Deus eſſe voluerit vniuerſa? Sed næ imprudenter inconſideratéque facio (Auditores) qui quod mihi diligenter cauendum decreueram, vt ne in præſtantiſſimæ Virginis prædicationem ingrederer, eò ſim repentè, oblitus inſtituti mei ac conſilij, delatus. Quamobrem inde ego me bona veſtra cum venia, tanquam periculoſo aliquo atque ancipiti ex loco, ſubducam: méque ad penſum meum at-

que inſtitutum reuocabo. Mea hæc oratio erit: quoniam quidem in eius clientelam traditi ſumus, in qua collaudanda honeſtandáque modum vllum, atque exitum inuenire nequeat oratio; præcipuam quandam à nobis erga eam voluntatem, beneuolentiam, ſtudium, atque obſeruantiam requiri. Quod ego ſanè neſcio an vllo vnquam tempore iuſtioribus magíſque neceſſariis de cauſis ſuſcipiendum fuerit. Nec eo tantùm dico, quòd id à nobis poſtulare illa videatur conflata cum ea nuper deuinctáque ſocietas, vt ad illius nos applicare cultum arctiùs in poſterum diligentiúſque ſtudeamus. Sed eſt aliud, quod cùm ego animo reputo, acrioribus ſtimulis vrgeri me atque excitari ſentio. Venit enim mihi in mentem, quo furore, quâ inſaniâ contra patronæ illius noſtræ exiſtimationem atque auctoritatem venire Hæreticorum hominum execranda factio hac ætate præſertim inſtituerit. Qui cùm ſacris omnibus, aris, templis, pietati, religioni nefarium, aque omni atrocitate imbutum bellum indixerunt, tum aduerſus Sanctorum, Deíque potiſſimùm Matris honorem ac venerationem maiori cum impetu ac pertinacia feruntur. Hoc conſiliorum omnium caput; hæc arx fraudis omnis ac malitiæ; hanc aduerſus Eccleſiam machinam vrgere identidem ac commoliri ſolent. Id, inquam, pugnant, vt cùm de illorum commendatione ac gloria obtrectando cauillandóque detraxerint; tum quicquid in eos eſt beneuolentiæ ac pietatis extorqueant. Quo tam firmo

ac neceſſario præſidio ſublato faciliùs quò iam pridem intendunt, hoc eſt ad religionum ceremoniarúmque vaſtitatem, ac Chriſtianæ reipubl. direptionem interitúmque perueniant. Hæc cùm illi non nimis occultè, ac callidè, ſed apertè palámque moliantur: cùm cæli terræque reginam, cuius in fide ac tutela ſumus, laceſſere ac vellicare non deſinant: cùm plenas in eam contumeliæ, plenas impietatis, plenas ſacrilegij voces iactitent; obſecro vos quid agimus? (Sodales) Continere nos vltra, aut id æquo animo, vel non nimis irato pati poſſumus? Non quo aduerſus eius cultum crudeliùs violentiúſque conſurgunt, eo nos acriùs ad reſiſtendum iis, eorúmque propulſandos impetus, comparabimus? Non denique nos hæc inuſitata eorum rabies ardentiores ad eius amorem, atque alacriores efficiet? Atqui ad id vnum maximè iſtiuſmodi cœtus ac ſocietates ſcitote fuiſſe conſtitutas. Tametſi enim formandæ continendæque in iuuentute probitati atque integritati quæſita eſſe videantur: tamen quòd hæc ipſa res habet ſummam cum ſacroſanctæ Virginis cultu neceſſitatem, ac coniunctionem, eò pertinere præcipuè conuentus illos adoleſcentulorum atque conſortia putandum eſt. Quare vti formidoloſiſſimis reipubl. Romanæ temporibus, magnóque in metu ciuitatis ac periculo, ſacramento rogari à Conſulibus ſolitos ciues accepimus, vbicumque ſua opera neceſſaria videretur, eò ſe continuò affuturos: ſic in perturbatiſſimis his

Chriſtianæ reipubl. fluctibus, ſummóque fidei ac religionis huius diſcrimine, tutandæ propugnandæque optimæ parenti deuotos nos atque obſtrictos eſſe exiſtimare debemus. Neque verò temerè, aut ſine magno conſilio, ſi quid perditiſſimis in conatibus conſilij ac prudentiæ eſſe poteſt, hanc imprimis religionis noſtræ partem euertendam ac labefactandam profligatiſſimi homines depopoſcerunt. Quod ideo commemorari à me hoc loco neceſſe eſt; quòd quæ neceſſaria iis cauſa ad oppugnandam ſanctiſſimam Virginem eſſe viſa eſt, eadem nobis ad defendendam debet videri. Hoc enim illi intelligunt: maximum ac firmiſſimum Chriſtianæ fidei robur in eius Virginis eſſe patrocinio collocatum: ſentiunt huius præ ceteris auctoritate ac precibus niti Chriſtianorum fiduciam, ac cùm vniuſcuiuſque præcipuam, tum communem Eccleſiæ incolumitatem ac decus hoc tam præſenti ſubſidio fulciri. Vident fruſtra eas à ſe diſſipandæ ſuccidendæque vineæ Domini partes eſſe ſuſceptas, niſi validiſſimum ſolidiſſimúmque hunc murum, quo ſepta ea atque obuallata eſt, demoliri antè potuerint. Nec tam hoc illi intelligunt, quàm cuius impulſu atque afflatu concitantur, hanc ipſis mentem funeſtus humani generis hoſtis, eidémque Virgini infeſtiſſimus, ſubiicit: quippe qui id ſibi cùm multo antè prædictum meminerit; tum diuturni experientia temporis perſpexerit, ab ea caput eſſe ſuum perpetuò viréſque colliſas: ac perſæpe cùm

vtcumque direpta Chriſti poſſeſſione ingentem atque opimam prædam nefarius populator abigeret, omnem ſibi repentè excuſſam è manibus; ſéque illius ope nudatum, ac ſpoliatum, turpiſſimam in fugam coniectum. Sentio me (Sodales) vehementérque gaudeo paulatim eò eſſe dicendo prouectum, quò iamdudum aſpirabam, vt de ſingulari illius patrocinio, omnibúſque in rebus ope præſenti, ac ſubſidio deinceps agendum ſit. Cùm ea vobis iucundiſſima vtiliſſimáque futura pars eſt, tum, quod hactenus ſuperiori tota oratione pugnaui, meliùs atque commodiùs perficiet, veſtrum vt erga eam ſtudium, pietatem, fiduciam, religionem promoueat. Nam cùm duabus fermè rebus allici ſtudia hominum conciliaríque ſoleant; ſi & aliqua inſit dignitatis honeſtatíſque ratio; & multa magnáque vtilitate ſit, quod ſuſcipitur, coniunctum: intellectum hactenus eſt, quod erat primum, nihil vobis eo religionis fœdere, atque ſocietate illuſtrius ac magnificentius eſſe poſſe. Nunc alterum, quod, etſi tanti eſſe non debeat, accendere tamen magnam hominum partem magis ſolet, breuiter proponendum eſt; quantæ quámque admirabiles eadem illa ex re commoditates redundent. Quanquam neſcio quo pacto præter expectationem accidit, vt quod eminus intuenti facile mihi ad dicendum præ copia videbatur, id ex eadem ipſa vbertate nunc ac copia difficile atque impeditum appareat. Sed vtcumque ſe res habet, quando fieri aliter

non

non poteſt, ceteris omnibus ab hac oratione remotis, quæ ad animi propriè fructum aliquem & vtilitatem pertinent, ea breuiter attingam. Scio apud quos agam (Auditores) quo illi modo affecti ſint, quid reſpiciant, quid habeant in vita propoſitum. Si mihi apud imperitos, aut vulgares homines hæc eadem tractanda forent, alia forſan adhibenda oratio eſſet, alia incitamenta quærenda. Nec ea verò deeſſent, quæ, vt captus hominum eſt, vel à corporis valetudiníſque commodis, vel ab externis rebus opibúſque peterentur, & plurimis & ingentibus ſæpè, ſicubi opus fuit, adiumento illius ac precibus, impetratis. Dicerem, ab deſperatiſſimis ægritudinibus, innumeris ærumnarum ac difficultatum incommodis, maxima ex deſperatione vitæ, ab ipſis lethi faucibus afflictos, ac pæne depoſitos quamplurimos ad ſalutem eſſe lucémque traductos. Vterer bene multis eorum exemplis, quos ne minimis quidem ac viliſſimis in rebus illius eſſet humanitas ac benignitas fruſtrata. Multorum denique conſcientiam experientiámque teſtarer, qui ſuis in periculis grauiſſimorum in ea malorum atque calamitatum portum ac perfugium inueniſſent. Nunc quod ego, ſi mihi apud rudes & impolitos habendus ſermo eſſet, iſtiuſmodi in bonis facerem; faciam apud elegantes ac probè inſtitutos Adoleſcentes, alio in genere bonorum libentiùs. Ex quo eo clarior inſigniórque ſanctiſſimæ parentis bonitas beneficentiáque erit, quo ſunt ea, quæ ad animi

vſum pertinent, longè ceteris bonis omnibus præferenda. Itaque non reſtitutam corporum ſanitatem; ſed mentis incolumitatem atque integritatem receptam: nec morbos ægrotationéſque depulſas; ſed animi vitia ac cupiditates reſtinctas: nec ad vitam reuocatos ab interitu; ſed à ſcelerum conſuetudine ac ſempiterno exitio reuocatos homines eius beneficio prædicabo. De quibus quid ego præſtantius ac luculentius afferre poſſum, quàm vetuſtiſſimorum ac ſapientiſſimorum Patrum grauitatis ac dignitatis pleniſſimas voces, quibus id magnificè & conſtanter pronunciant; nullum à Deo beneficium, nullam gratiam, nullum largitatis in homines, ac munificentiæ ſignum extare, quod non ſuffragante ea atque interpellante collatum ſit: quódque non per eandem, quaſi ductum quendam, ac veluti fiſtulam, cæleſtibus illis atque vberrimis è fontibus hauriatur ac profluat? Itaque fremant licèt, ac diſrumpantur Hæretici, nóſque, ſi ita placet, contumeliæ in Diuinum numen, & impietatis arceſſant, ſceleris ipſi atque impietatis artifices; hoc nos tamen, hoc, inquam, clàra de ea voce profitebimur: hanc eſſe apud Filium conciliatricem generis noſtri: pacis inter Deum atque homines conſtituendæ, propitiandæque tantæ maieſtatis ſequeſtrem atque interpretem: illam nobis diuinitus datam atque oblatam, quæ imbecillitatem noſtram luce quadam ſuæ auctoritatis ac potentiæ recrearet: quæ ita quicquid vellet, efficere nullo negotio

atque obtinere poſſet, vt quicquid ipſa poſſet, nulli vnquam imploranti ſe ac ſupplici negaret. Quis enim aliquando fruſtra ad eam ſuſceptas à ſe preces? quis non exauditos gemitus? quis irrita caſſáque ſuſpiria? quis inanes fuiſſe lacrymas expertus eſt? Prodeat ille quiſquis eſt. Dabo quî cum ſacramento ac ſponſione contendat. Veniet enim eiuſdem ex familia longè ei cariſſimus; atque imprimis nobilis alumnus: qui quemlibet noſtrûm prouocare, atque eam conditionem ferre non dubitet; niſi ea roganti ſeſe propitia ſemper, ac præſens affuerit, deinceps vt tanquam auerſam ac ſuſpectam caueamus. Nulla hîc probitatis, nulla ſanctitatis, ac virtutis exceptio: nec de cuiuſque moribus, aut meritis, beneficij cauſa, atque opportunitas capitur: ſint modò tales, qui illius humanitati ac benignitati aditum apud ſe eſſe patiantur. Da improbum; da ſceleratum; da contemptorem Numinis; da parricidam; da flagitiis ac libidinibus æſtuantem; da in cœno turpitudinum ſuarum ac ſordibus iacentem; da in ipſis propemodum inferis ſepultum: ego tibi illum vno Virginis nutu ex perdito ac corrupto integrum; honeſtum ex impuro; ex impio religioſum; ex nefario probum; ex contaminato, frugi atque innocentem reſtituo. Cùm duo illa religionis ac ſanctitatis lumina, Dominicum & Franciſcum idem pietatis ardor, eiuſdémque impulſus ſpiritus vno tempore Romam attuliſſet, eiuſmodi quiddam alteri ex iis per viſum oblatum fuiſſe memorant. Vide-

bat enim, patefacto cælo, Chriſtum cum Matre, Sanctorúmque omnium comitatu, magna atque inſolita cum luce deſcendere; non vt quondam mitis humano generi, ac ſalutaris aduenerat. Iratus hominum ſceleribus, ac furens accingere ſe ad eorum exitium ac perniciem videbatur: inflammati erant oculi: atrox & horribilis aſpectus; toto ex ore minæ ac terrores emicabant. Tria porrò manibus iacula tenebat, quibus vniuerſum genus confixum ac profligatum, ad internecionem extingueret. Cùm nemo, qui ſe iuſtiſſimo furori auderet opponere, ex eo numero eſſet inuentus, ſola ad Filium accurrens, aduolutáque Mater iram vt lenire vellet enixè flagitabat. Cauſante illo hominum nequitiam, ac dubitante, habere ſe benigna Mater famulos duos adiecit, quorum opera ac ſtudio corruptelæ temporum, ac morum improbitati ſubueniret. Tum vtroque repræſentato, approbatóque, omnis illa procellæ vis ac tempeſtas ſedata eſt. Hæc tum viſa primùm: an etiam facta primùm, aut non ſæpiùs occultè, ac ne cogitantibus quidem nobis geſta ſimiliter putabimus? Planè iſtud agnoſcere, hoc fateri, hoc cum eius laude ac prædicatione palàm ferre debemus: poſtquam à Deo diſceſſerimus, huic vni nos ſalutem vitámque noſtram, huic conſeruationem, huic integritatem animi, huic quicquid boni habemus, quicquid mali fugimus, quicquid in hac vita, quicquid in morte præſidij conſequimur, aſcribere vni, ac referre acceptum oportere. O nos felices ac

beatos ! (Sodales opt.) quos ſub tam benefi-cæ, tam præſentis, tam manſuetæ Virginis tutelam, eadem voluntas, concors animus, non diſſimilis Dei fauor ac benignitas ſubiunxit. Dubitabimus enim quæ in omnes promiſcuè clementem ſe ac liberalem exhibet, quin & ipſos, quos vſque eò proprios ſibi, & quaſi peculiares habeat, ſingulari aliqua cura prouidentiáque foueat ? & quo imbecillior atque iniuriis opportunior ætas ea eſt, quo plura grauioráque nos pericula partim inteſtinis ac domeſticis, partim externis ab hoſtibus circumſtant, eo omnes ſtudioſiùs ac ſollicitiùs conſeruet ? Nolo in eo quod experientia magis veſtra, quàm oratione mea intelligere ſubinde poteritis, hærere diutiùs. Et hoc ipſum, quod à me dictum hactenus eſt, pro rei dignitate nullum, pro veſtra expectatione exiguum, pro temporis ratione fortaſſe nimium eſt. Quare compenſabo id alterius breuitate partis; nec de officio erga illam noſtro dicam, quæ vel tanta cuilibet argumenti facultas ac copia ſuppeditat, vel initio mihi dicenda propoſueram. Quæ ſunt igitur partes noſtræ ? aut cuiuſmodi à nobis officij vitæque conditio quæritur ? Si ex illius, cui id debetur merito; ne cogitari quidem poteſt : ſin ex viribus noſtris, atque æquitate quadam; nec pauca, nec vſitata, nec vulgaria flagitantur. Dicam hoc non terrendi cuiuſquam, nec augendi gratia; ſed quod ita mihi veritas ipſa, & ratio ſubiicere videtur: poſteaquam relati in eum gregem, atque ex eo cœtu,

ac quodam veluti comitatu Dei Matris eſſe cœpimus, omnium nos religione officiorum deuinctos atque obſtrictos eſſe: alium nobis vitæ ſtatum, leges alias, aliam impoſitam perſonam. Nec ſi turpe aliquid ac flagitioſum admiſerimus, graue à nobis dico crimen eſſe commiſſum: ſed ſi quid honeſti ac decori in vita prætermiſerimus: ſi non omnem officij rationem plenè cumulatéque præſtiterimus, vel vt mali nihil aliud agamus, non mediocrem hoc ipſo culpam ſuſtinere neceſſe eſt. Susceptæ itaque à nobis ſanctitatis partes, ſuſceptæ religionis, pudicitiæ, pietatis, verecundiæ, grauitatis: depoſitæ non modò turpitudinis, non improbitatis modò ac flagitij, ſed & futilitatis, leuitatis, inconſtantiæ, vanitatis. Ita nos cogitare, atque ita comparari decet, quaſi in omnium proſpectu, & quodam veluti theatro vniuſcuiuſque noſtrûm conſilia, dicta, factáque verſentur. Nec eo iam contenti eſſe poſſumus, priuatim vt nobis ipſis ſolummodo ſatisfaciamus: ſed aliorum inſuper famam exiſtimationémque præſtare, & ad eorum quibuſcum viuimus vtilitatem noſmetipſos accommodare debemus. Proinde ea nobis maturitas morum, ea temperantiæ continentiæque moderatio, ea conformatio actuum, ea ſtudiorum ac voluntatum integritas, is in omni vita decor, atque ornatus adhibendus eſt, vt quicumque ora in nos oculóſque coniecerint, ſtatim vel ex aſpectu ipſo cuius famuli ac domeſtici ſimus, intelligant. Qua ex re non id tantùm aſſequimur, vt recens

hac in vrbe inſtitutum noſtrum etiam inuidis ac maleuolis probemus: ſed, quod multo illis optabilius eſt, vti apud cæleſtem illam Dominam maiori in pretio & gratia eſſe poſſimus. Noui ego animos veſtros: ſcio præclaris atque egregiis adoleſcentibus nihil tam cordi eſſe, quàm vt ſeſe penitus in illius familiaritatem inſinuent, cui deditos ſe ac coniunctos eſſe gratulentur. Erit illud perfacile vobis, ſi quæ animorum blanda inter ſe conciliatricula ſolet eſſe, vitæ morúmque vos illi ſocietas ac ſimilitudo commendet: ſi quibus ipſa maximè dotibus atque ornamentis enituit, eæ in vobis efflorue-rint, cùm ad fructum animi præcipuum, tum ad hominum approbationem, ac iudicium. Atque vt nulla ab eorum mentibus abeſſe virtus debeat, qui puriſſimæ innocentiſſimæque Matri ſeruiunt; tamen caſtimoniæ in primis illa continentiæque ſtudium ab ſuis efflagitat. Dici non poteſt quantum ex hac vna lætitiæ, quantum voluptatis capiat. Repetite eorum vitam atque memoriam, qui apud illam gratioſiſſimi, ac præcipuo in loco habiti fuiſſe dicuntur: ne mihi ad exitum finémque properanti neceſſe ſit Bernardos, Ildephonſos, Bernardinos, Bonauenturas, aut ſi qui alij iſtius pietatis perilluſtres fuerint, nominare. Vllúmne de tot cultoribus Virginis reperietis vnquam, qui non integritate tantum antecelleret ceteris, quantum amore in illam, ac ſui quadam conſecratione præſtitiſſet? Enimuero Virginis ſtudioſos omnes, vel virgines, vel virginitati quàm proxi-

mos; caſtos certè, atque omni feditate alienos & incorruptos eſſe conuenit. Nihil igitur in Sodalibus noſtris fractum, nihil ſolutum, nihil petulans, nihil procax, nihil inſolens animaduerti patior. Obſcœnum verò & impudicum, ac non modò in factis, ſed in verbis ac ſermone parum pudicum æquè ineſſe nihil oportere, ne commonere quidem neceſſarium exiſtimo. Quòd ſi cui tam ſeuera probitatis norma, támque exacta ac circumſpecta moderatio, aut difficilior, aut nimis moleſta videatur: primùm abſurdum eſt, cùm te tam eximiæ ſeruitutis ſplendor ac gloria delectet, nolle pari eam animi magnitudine, ac vitæ dignitate ſuſtinere: tum illud conſolari nos ac ſubleuare non mediocriter debet; quòd non tam inde officij neceſſitatem, quàm vim ac facultatem accipimus, nec tales exigere illa potiùs, quàm efficere paulatim atque informare ſolet. Nec poſtremò quantum poſſit vnuſquiſque, ſed quantum aſſequi velit aſpiciat. Facilis vtique, neque dura aut oneroſa conditio; vbi quantum tibi permiſeris, tantum præſtare ac perficere poſſis: felix verò & optanda ſanè; in qua par atque æqualis ſit opitulantis poteſtas, voluntati facientis. Atque hæc quidem (Sodales) quæ hucvſque à me de officio veſtro diſputata ſunt, omnibus ſunt reliquarum vbique Sodalitatum alumnis vobiſcum communia. Veſtra hoc priuatim intereſt, quod quidem, quia pæne modum prætergreſſa oratio eſt, vbi breuiter comprehendero, ego dicendi, vos audiendi fi-

nem facietis. Etenim quòd nullæ ante hoc tempus, hiſce in Scholis, atque hac veſtra ciuitate Sodalitates, atque huiuſcemodi conuentus initi ſunt: quódque nunc primùm auſpicatò à nobis religionis iſtius primordia, & quaſi fundamenta ponantur: magnopere ſanè prouidendum eſt, cuiuſmodi ei rei principium, qualem deinceps curſum tribuere velimus. Si alacres, ſi experrecti, ſi in omnibus virtutis partibus atque officiis explendis ſtrenui diligentéſque fuerimus: ſi exemplo noſtro, ceteros ad honeſtatem ac probitatem incitauerimus; bene impulſa ſemel inchoatáque res magnos in poſterum, atque admirabiles progreſſus habitura eſt. Neque id duntaxat ſitum in nobis eſt, quem ei ſtatum ordinémque conſtituamus: ſed agitur præterea hominum de eiuſmodi ritibus ac ſanctiſſimæ Virginis cultu opinio, atque fama. Non enim aliter quàm pro veſtris moribus vitáque, iudicandum de toto hoc pietatis genere arbitrabuntur. Eſt hæc iniquiſſima fateor, ſed vſitata quotidianáque ratio; vti ſingulis de rebus non aliter quàm ex euentu ipſo atque exitu ſtatuatur: nec quæ hominum vitio culpáque contingunt, hominibus magis, quàm profeſſioni eorum atque inſtituto tribuantur. Quamobrem quæ omnium cura, quæ ſollicitudo ac contentio eſſe debet, (Sodales,) cùm in manibus noſtris arbitrióque poſitas ampliſſimas religiones, auguſtiſſimos ritus, maximas ceremonias, ipſius propemodum Dei parentis, ac cæli terræque Dominæ commenda-

tionem atque honorem videatis ? Nullus mihi credite , his in caſtris ac militia deſidiæ locus ,nullus languori ac ſocordiæ eſſe poteſt. Sed nihil in ipſo conditæ Sodalitatis principio præfari acerbius volo. Erunt planè , vti cupimus, læta omnia, & voto etiam ampliora. Excitabit ex iis animis, eáque alacritate veſtra, & ardore , benigniſſima parens præclarum quidpiam, & inſigne, quod Filij ſui maieſtati honorificum, dignitati ſuæ amplum, Eccleſiæ fructuoſum, ſalutare vobis, gratum omnibus ſit, atque expetendum. Illud ego cùm ab ea mihi certiſſimè polliceor, ac poſtulo : tum ei viciſſim omnium nomine repromitto ; nobis neque in eius ſuſcipiendo cultu fidem, neque in amore conſtantiam, neque in obſequio diligentiam, nec in tuenda dignitate libertatem, nec in augenda induſtriam, nec in perferendis laboribus patientiam defuturam. Vos (Sodales) quæſo, vti inſtituiſtis , operam date, vt ne ſuſcepta hæc à me deuotio, quo minùs conuicta commiſſáque ſit, vitio veſtro faciatis.

IN BEATÆ VIRGINIS ſanctiſſimam Purificationem,

ORATIO TERTIA.

In Sodalitio Parthenico eodem die ab vno è Sodalibus dicta.

ECQVID eſſe cauſæ dixerim (ornatiſſimi viri) cur hîc celebrandis Virginis magnæ ſollemnibus ſola tandiu facultas aſcita ſit Poëtica; oratoria, tanquam muta, aut ſilentio damnata conticeſcat? Nam cùm ſint tria quotannis tempora totidem attributa Sodalitiis, quibus officium probare ſuum vtraque poſſet, & verò anteà ſoleret; annis abhinc aliquot, pulſa loco ceſſit ſoluta quæ dicitur numeris oratio: neque quidquam iſtic eſt præterquàm carmen auditum.

Rectè hoc, ſecúſne factum ſit, nihil diſputo. Credibile eſt eos, qui ſic inſtituerunt, auditorum lenocinio, voluptatíque ſeruiiſſe. quæ maior ideò verſibus ineſſe videtur, quàm ex Rhetoricæ præceptis aptè licèt, elegantérque compoſito ſermoni; quòd illi liberiorem ſibi licentiam ſuo iure videntur aſſumere. Non enim tectè, ac verecundè inſidiantur auribus; ſed palàm, & apertè blandiuntur: & ſunt præterea

feſtiuorum acroamatum, & fabularum ſuauitate condîti.

Oratoria verò dictio cùm per ſe grauis eſt, ac ſeria: tum quoties ad res pias tractandas, ac diuinas adhibetur, voluptaria illa & fucato nitore picta refugit, ſola veritate contenta. Atqui, vt iſta ſit in laudationibus his, cur vna anteponatur alteri, non improbanda ratio, (de quo tamen poſſe dubitari video) eò certè valere cauſſa illa debet, non vt ars nunquam oratoria: ſed vt parciùs quàm poëtica, illius in partem muneris aduocetur.

Quamobrem ad hoc enitendum eſſe hodierna mihi actione ſtatui; vt æquitatis tuendæ partes cum vſitati in ſanctiſſimam patronam officij religione coniungam: & vt oratoria facultas ſine lite, ac moleſtia; nec tanquam ex interdicto Prætoris vnde vi: ſed cum gratiâ omnium & concordiâ, priſtina in ſede reponatur. Atque hic primus reſtitutæ longo interuallo illius aditus (ſi fautrix, adiutríxque veſtra humanitas acceſſerit) tum per ſe non inſuauis, opinor, erit; tum argumenti quod pollicetur, ipſo genere commendatus. Affert enim rei non modò iucundæ, ſed etiam neceſſariæ tractationem, delectam ex eâ varietate, quam multiplicem offert expiatæ Virgini conſecratus hic noſter dies.

Meminiſſe porrò vos exiſtimo, quàm multa eodem adminiſtrata tempore in hac anniuerſariâ celebritate recolantur: quorum præcipua ſunt hæc: aduentus in Templum pueri, inter

brachia geſtantis Virginis matris: huius ex lege puerperarum, poſt quadragenos à partu dies expiatio: oblati in eum finem turtures duo, totidémve columbæ pulli: ſenex ſanctiſſimus, idémque propheta Symeon diuino inſtigante Spiritu actus in Templum; vbi occurrentem paruulum, & vlnis exceptum arctiſſimè complectitur. Eodem impellente Spiritu obuiam procedens anus religioſa, itidémque vates: vtriuſque, partim læta puero, ac matri, partim triſtia, & acerba prædicta: humano denique generi addictus, & mancipio datus infans, Dei & Mariæ filius. Cuius rei vis eſt illa: auctorem & vindicem ſpei, ſalutíſque noſtræ, atque, vt Scriptura vocat, Mediatorem Dei, & hominum Ieſum Chriſtum propiùs ad vſum noſtrum, & commercium adiungere.

Quæ omnia quoniam vna comprehendi oratione nequeunt; ſed ſuam, propriámque ſingula poſtulant; quod poſtremo loco poſui, amplectar oratione mea, ſepoſitis ceteris, & in hoc ero intentus vnum, vt doceam, Dei ſanctiſſimam genitricem, eximiam hodiernâ luce, appriméque neceſſariam nauaſſe operam hanc, vti filium ſuum ſanctiori iure arctiúſque nobis innexum, obligatúmque traderet; eóque facto, Mediatricis, quod ei Chriſtiani populi conſenſus aſſignat, titulum, ac munus impleſſe.

Hoc mihi facilè vos aſſenſuros eſſe confido, ſi quæ conciliatoris, &, quod vſu iam detritum eſt, (etſi minùs quibuſdam Latinum videtur)

Mediatoris partes ſunt, intueri velitis. Ecquis verò tali eſt appellatione dignus? Nimirum ille, qui offenſum alteri lenit, ac mitigat, & ab vlciſcendi cupiditate, ad placabilitatem facilitatémque conuertit. Quòd ſi exiſtat is, cuius ope, & interuentu, non ira modò, & inimicitia tollatur, ac pœnam is qui læſit effugiat; ſed in intimam quoque gratiam, & familiaritatem receptus, maiori quàm antè in pretio, & dignatione ponatur; tum verò qui hoc egerit, eo titulo digniſſimus mediator habeatur.

Huiuſmodi (Auditores) vſum conciliatoris, ac ſpecimen, cùm in omni vitâ præclarè ſanctiſſima Dei parens ediderit, tamen præ ceteris actione hodierna, & oblatione dico eſſe perfectum. Sic enim habebant res noſtræ. Ardebat in miſeros mortales præpotentis ira Numinis, & capitali in omnes dictâ ſententiâ, in ſempiternum interitum ruebat Adami damnata poſteritas. Huic deſperato malo, & paternæ iracundiæ procurandæ interceſſorem ſponte ſe profeſſus eſt vnigena Dei Filius. Cuius exequendi conſilij adminiſtra Virgo, & interpres adhibetur. fit ex ipſius, & in ipſius vtero Deus idem & homo Chriſtus, & eiuſdem, à quâ genitus, & in lucem erat editus, parentis ſe poteſtati permiſit. Ita comparata per Mariam expiandis nobis eſt hoſtia ſalutaris, ac munitum deinceps ad immortalitatem obtinendam iter eſt apertum.

Verùm quis leuitatis, infirmitatíſque ſuæ ſibi conſcius, & in exigendis officiis diuinæ ſe-

ueritatis, & iuſtitiæ memor, perpetuam ſibi tam excellentis medici, tam beneuoli, & gratioſi pacificatoris vſuram fore confidat? aut non iuſtiſſimo metu ſolicitetur, ne prouocatus ſceleribus noſtris è medio ſe ſubtrahat: & terrenis relictis ſordibus patris ad ſinum, & complexum reuolet in cælum?

Neque verò mihi quiſquam hîc obiiciat, Diuinorum promiſſorum decretorúmque ſtabilitatem, & conſtantiam. Non hæc inſcientibus nobis occinet, quiſquis iſta dixerit. Sed idem viciſſim intelligere debebit huiuſmodi extare multa ſacris in litteris memoriæ prodita, quæ quibus leguntur expreſſa verbis, & ſententiis, fixa, & abſoluta crederes: ſed eadem tamen tacitis illigata conditionibus fuiſſe, euenta ipſa comprobarunt. Quis Abraamo neſcit, eiúſque poſteris Chananææ terræ poſſeſſionem, in omnem perpetuitatem temporis, Deum toties eſſe pollicitum? At hæc ipſa tam certa, tam liquidis nuncupata verbis, repetita ſententiis, tam ſollemni vtrimque ritu conſecrata promiſſio, primùm ſpe minorem exitum habuit: tum in qualicunque fructu fœderis illius acquieſcentes Iudæos ad extremum deſtituit. Sic vni ex Aaronis liberis, eiúſque ſtirpi in ſempiternas ætates deſtinatum Sacerdotium, non diuturnum fuit. Sed alteram in familiam ſucceſſorum eſt merito, culpáque tranſlatum. Ita denique penes Dauidis progeniem manſura regni Hebraïci ſceptra Deus eodem genere ſermonis oſtenderat: quem non mendacem, ſed ex conditione pen-

dentem fuiſſe, ſerò exitus ipſe monſtrauit.

Sexcenta ſunt ad manum exempla talia, quæ in errorem ſpecie ipſa trahere poſſunt imperitos, in quibus quod præcisè denuntiauerat Deus, vt omninò fore aliquando putares, res ipſa docuit, non ita vti creditum erat, abſolutè eſſe decretum.

Nunc illud velim apud vos perpendatis (Auditores) non vt hoc tempore peractâ re; ſed, vt illo, pendente adhuc, & incerta: hoc, inquam, ſedulò cum animis veſtris exiſtimatote. Si vos iſta coràm, ac præſentes intueremini; quemnam, obſecro, veſtrûm non iuſtus angeret timor, ne ad humani generis remedium promiſſus Chriſtus noſtro aliquo vitio ſupprimeretur? Præſertim cùm ad hunc metum non leuis ex eo fieret acceſſio, quod in hodiernâ celebritate contineri paullo antè dixi; nimirùm quòd communem ſibi cum Deo Filium æterno Patri repræſentauit, obtulítque Virgo.

Hoc enim cùm inſtitueret, quid aliud viſa eſt facere, niſi abs ſeſe, perinde atque ab hominibus, alienare Chriſtum, & in ius alterius, poteſtatémque tranſſcribere? An non itaque verendum iis fuit, qui tum cùm iſta gerebantur, intererant ſecreti cæleſtis conſcij, ne ab eo, cui tunc redonari, & à nobis abiudicari videbatur, digredi Puer; & ad vſum noſtrum applicari ampliùs nollet? Quod igitur formidoloſum maximè tunc eſſet; quódque nemo non prudens exhorreſceret, acerbiúſque morte ipſa duceret: hoc auertit, ſuſtulítque penitus conciliatrix

ſapiens,

ſapiens, & noſtri generis amantiſſima: qua die donatum anteà ſibi, & ad tempus reſtitutum Patri filium, ne elabi ampliùs poſſet, arctioribus nobis quàm antè, nexibus obligatum tradidit.

Nam cùm duobus modis acquiri res, & cuiuſpiam propria fieri poſſit, donatione, aut emptione; vtroque per Mariam diuinus ille Puer, imò Deus, noſter eſt factus. Ac priore tunc quidem, quando in vterum infuſus eſt Virginis, & indidem decimo pòſt menſe, ſine iacturâ vllâ pudoris effuſus.

Cuius immortalis, & ſtupendi erga nos beneficij fidem vtriuſque tabulæ Teſtamenti faciunt, (Auditores) quorum in altero donandus promittitur: promiſſus in altero donatur amiſſæ ſalutis inſtaurator Dei filius. Illîc, ne fortaſſe dubites, prædicentem audis Iſaiam Prophetam; *Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis.* Hîc ipſummet filium ſuopte hoc ore pronuntiantem: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.*

Ad hoc deinde gratuitum, & liberale ius donationis, quo firmior illius eſſet poſſeſſio, alterum, vt iam dicere cœpi, hodierna dies, emptionis adiunxit: quo die redonatum, oblatúmque Patri Deo, ne ereptum nobis queri poſſemus, perſoluto viciſſim pretio comparauit.

At cuiuſmodi tandem eſt pretio redemptus? aut quid dignum maieſtate tanta, humilis præſertim, & inops puella dependeret? Non ſi auri, argentíque ſola quidquid eſt vbique terrarum

obtineret. Parum eſt quod dixi. Nec enim ſi terras ipſas, & maria; Solem, Lunam, ſidera, cæleſtes orbes, & quidquid eorum vaſtiſſimo ambitu coërcetur. Adde angelos, creatáſque res omnes, & quas infinita vi ſua moliri poteſt diuina virtus: non ſi hæc in vnum conferuntur vniuerſa, ſtillæ ac puluiſculi ad immenſitatem illam inſtar habeantur. Quânam ergo conditione depaciſci cum Deo emptrix noſtra potuit: quæ nihil rerum omnium habuit, quod cum tam neceſſario, támque pretioſo pignore compenſaret?

Has anguſtias explicare, non fuit humanæ artis, & induſtriæ: ſed diuinæ, vel Deo proximæ mentis, ac ſollertiæ fuit. Caruit intacta Dei mater opibus iis, quibus humana commercia in terris adminiſtrantur? Caruit quidem. Sed, vt ſagax erat, animaduertit, non eo negotiationis genere, quo vti inter ſe ſolent homines, cum Deo tranſigi oportère: ſed alio prorſus, & contrario: imò verò non diſſimili fortaſſis, atque iſta conſueuerunt, ſi certa quædam ratio tenebitur. Sic enim paciſci mos eſt, vt quâ re quiſque indiget, abundans alia, quam habet communicando, eam, quâ ſibi opus eſt viciſſim accipiat. Vt non omnis omnia fert regio: ſit illa frumento locuples; ſed vini egeat: è contrario vini ferax iſta ſit; ſed minimè frumentaria. Quid ambæ facient; aut quemadmodum ſibi conſulent? Opinor, inter ſe component ſic. Permutabunt inuicem commoditates ſuas: & quarum rerum ſingulæ copia præſtant,

earum inuectione, & exportatione alterius altera ſubleuabit inopiam. Huiuſmodi eſt mutuæ opis, & ſubſidij hominibus à natura conſtituta ratio. Ab eâ verò nec ipſe naturæ abhorret auctor; ſed eandem nobiſcum inſtituit, & exercet.

Age verò; quarumnam rerum abundantiâ copioſus eſt Deus? Nemo tam eſt vecors, quin ſtatim reſpondeat: Bonorum citra exceptionem omnium? Quibuſnam verò funditus caret? Neque hîc hærebit quiſpiam, quin ſola deeſſe mala dixerit: non ſolùm vera; qualia peccata ſunt, & vitia: ſed etiam ſola ſpecie, ac vulgi opinione conſtituta: velut illa præ ceteris eſt nemini non formidabilis egeſtas, & vacuitas tum opum, ac fortunarum, tum honoris, & claritatis. Nam vtraque peracerba, & inuiſa populari iudicio cenſetur.

Iam mortalis ex aduerſo conditio & malis eſt cuiuſque modi conferta; & boni per ſeſe nihil habet. Quocirca non aliter, atque hominum more, vſuque receptum eſſe docui, fecit illam cum Deo pactionem hodie Mediatrix ſanctiſſima: quâ illius opulentiam omnem, omnes ſapientiæ, ac ſcientiæ theſauros, fontem atque ſtirpem virtutum, & bonorum omnium; diuinitatem denique ipſam auertit ad ſe, nobiſcúmque communicauit. Etenim Chriſto in vno quæ memorata ſunt, vniuerſa contineri, diuinarum ſcripturarum oracula prædicant: & eundem hunc noſtrâ causâ redemptum à Matre

fuiſſe, tum præſentis feſti; tum anniuerſarij in eo præconij perpetuitas ipſa teſtatur. Erat Maria re pariter, ac voluntate pauper: & hac, quàm illâ, etiam ampliùs. Nam etſi poſſidebat nihil; carere tamen omnibus, quod maximè optabat, reipſa non poterat. Quamobrem pro cenſus ſui tenuitate, filium ſuum, omnium ſpem ſæculorum, ac totius, vt ait Auguſtinus, mundi curam, oblatum Patri redemit mox eo pretio, quo neque viliore iumentum vllum conſtare poſſet. Quinque pro eo ſiclos, vt erat antiqua præſcriptum lege, numerauit.

Obſecro vos, (viri ornatiſſimi) hoccine illud eſt, an non, quod paullo antè dicebam; nondum omnes intelligebant fortaſſe cùm dicerem? Satin' hoc, inquam, extricatum, ac patefactum oratione eſt iſta, quod huius argumenti præcipuum eſt, emptionem illam abundantis rerum omnium copiæ; tum infiniti ſplendoris ac dignitatis, quibus per Mariam locupletati, honeſtatíque ſumus, non pretij fuiſſe, ſed paupertatis, & humilitatis impenſam?

Humilitatem cùm nomino, non ea notione vocis vtor, quæ iam ad vſum Chriſtianorum inueterauit: vt illam virtutem intelligam, quæ ceterarum princeps dicitur, & fundamentum eſſe virtutum. Quæ quamuis admirabilis in Virgine, ac ſingularis eluxit; propterea locum hîc non habet; ne iactantiæ cuiuſdam videatur eſſe, quod in gratulatorio ſuo Cantico cecinit, ad humilitatem ſuam reſpexiſſe Deum, vt eam tantis ditaret opibus, ac diuinis honoribus

cumularet. Non ſic puto, de ſe Maria loqueretur vnquam, vt vel antecellentem omnibus, vel præeuntem virtutibus ſuo ſibi præconio venditaret. ſed nimirum ταπείνωσις, vt ibidem extat, (non ταπεινοφροσύνη, quod nomen illius ſolis eſt Chriſtianis cognitæ virtutis) vilem, ac deiectum vitæ ſtatum, & conditionem exprimit: qualis eſt plebeiorum, & in ſordibus, atque obſcuritate iacentium: quos nemo nouit, nemo cuiuſquam æſtimat; nemo cultu, & obſeruantia, ac propemodum alloquio dignatur. Huiuſmodi vti facultatum, ſic famæ, & humanæ gloriæ, ac ſplendoris inopia, nihil ex ſeſe commendationis habet, ſed laudem inter, & vituperationem medio conſiſtit. Hanc ipſa ſibi tam verè, quàm non ambitioſè Maria tribuit; huic ſummam, & caput quæſtuoſæ negotiationis adſcribit. Hæc enim radix, & origo fuit qualiſcumque pretij illius, quod vitam, ſalutem, immortalitatem, felicitatem, diuinitatem ipſam denique longo ad nos interuallo reuocauit.

Neſcio equidem (Auditores) itidémne vt ego nunc de eo, quod dixi, cogitetis. Subit enim vereri, ne quis tantorum bonorum ſplendore perſtrictus, & pretij, quo illa compenſata ſunt, exiguitate ſtupefactus, neutiquam ſtabile conuentum iſtud fore ſuſpicetur; eóque minus obſtrictum nobis, ac deuinctum cæleſte pignus illud exiſtimet. quòd ita fert legum æquitas, conſuetudóque ciuilis, vt ij contractus pro non factis habeantur, in quibus paret, iuſti pretij

dimidio ſtipulatorum alterutrum eſſe fraudatum.

Verùm præſtabo vobis hunc metum. Nam vt humanis in conuentionibus ea ſit æquitatis adhibenda cautio : in iis tamen , quæ cum Deo tranſiguntur, ne aliter quidem vſuuenire poteſt, quàm vt optimis, pretioſiſſimiſque rebus, minimæ noſtræ ac viliſſimæ permutentur. Niſi forte ſic eſt aliquis imperitus, & hebes, vt hoc nondum intelligat , neque quicquam Deo ab homine dari poſſe, quod non præſtans ſit, & magnificum : nec à nobis viciſſim rependi, niſi contemptum, & puſillum : ac pari, & eodem ab illo, hoc eſt infinito, diſcrimine, quæcumque ſunt creata, maxima minimáque diſtare.

Quanquam vt ab humanis pactionibus nondum recedat oratio mea, quiddam ineſt in genere hoc egregium, & præclarum, quod litterarum elegantiorum vſu triti, non ſine voluptate recognoſcent.

Veteri more Quiritium iura fuiſſe complura poſſeſſionis accepimus certis aſtricta præſcriptionum formulis : è quibus ſanctiſſimum illud fuit, quo res tradi mancipio dicebatur, ac nexu venditor obligari : cùm ſtateram alterâ manu tenens, alterâ æs, quod rauduſculum vocabant, eo poſtquam libram percuſſerat, hoc ipſum venditori pretij nomine dabat in manum. Hoc modo fundi, prædia, mancipia; nec non hereditates, & opulenta patrimonia venibant : quæ perexiguâ ſtipe, & imaginariâ illâ venditione Romani ciues acquirebant. Quinetiam in ma-

trimoniis eadem imago venditionis vſurpata legitur: cùm ambo coniuges dicis cauſa perleui ſe pretio mutuò redimebant. Cuiuſmodi matrimonia per coëmptionem facta antiquitas nominauit, eóque pro firmiſſimis, ac religioſiſſimis habuit.

Potéſtne quidquam hoc exemplo fieri ad inſtitutum noſtrum accommodatius? (Auditores) Aut non in eo perſpicuè contueri licet id, quod paullo antè dixi: vt ad firmandam, ſanciendámque pactionum fidem non tantum pecuniæ magnitudo conferat, quantum pacti conditio ſollemni aliquo ritu hominum opinione conſecrata?

Quod mihi quidem iure ita fieri videtur: quoniam vbi pretij æqualitas interuenit, ad tenendam pactorum conſtantiam ſola plerumque illecebra vtilitatis adducit. at vbi ſine vllo emptoris impendio, ludicra, & in ſpeciem vſurpata venditio eſt, ſola illîc agit inclinatio liberæ, & gratuitæ voluntatis: quæ ad perpetuitatis fidem longè mercenariâ illâ eſt aptior.

Satis illud intellexiſſe vos arbitror (Auditores) quorſum oblati per Virginem paruuli redemptio illa pertinuerit: quàm porrò ſollerter excogitata, & adminiſtrata ſit: quantum inde ſplendoris in patronam noſtram; in nos eius clientes fructus & commodi redundarit. Reliqua videbatur inſtituti ſermonis ea pars, in quâ cæleſtium opum, & donorum, quorum in poſſeſſionem hodie mittimur, vis & magnitu-

do, excellentiáque tractetur. Verùm cuius ad hoc oratoris vel parte minimâ præſtandum idonea ſit facultas? Taceo de noſtra; quæ par eſſe hac in ætate quî poteſt? Quam quidem tolerabilem hactenus patientiâ veſtrâ, & humanitate feciſtis.

Ecquis obſecro veteribus ex illis, quorum, ad ſtuporem audientium, in foro, & concionibus eloquentia dominata eſt, non argumenti iſtius maieſtate fractus, obrutúſque ſuccumbat? Etenim humana erant illa: &, ſi verum quærimus, anguſta, & contempta, in quibus dicendi faces illas, illa verborum fulmina; illam, quæ viuit in omnium ſæculorum memoriâ, tonantem, ac permiſcentem cuncta vim, & copiam orationis explicabant: Noſtra verò prorſus ingentia, ſublimia, æterna, vno verbo, diuina ſunt.

Hæc igitur, quæ nec mortali ſermone capi, nec humana comprehendi cogitatione poſſunt, iniqui profectò ſitis, ſi à nobis requiritis potiùs, quàm multo ſapientioribus vobis ipſis æſtimanda relinquitis. Sed ſi quis vrgere tamen, & moleſtus eſſe pergat, & hanc à me hodierni argumenti, velut penſi, ac debiti partem repoſcat, non à me, vnde illi faciam ſatis: ſed ab arcanorum cæleſtium conſcio Apoſtolo Paulo mutuum ſumam: Cuius extat breue illud quidem, ſed eximium, ac verè aureum dictum, quod verborum paucitatem ſententiæ grauitate compenſat. Scripſit enim alicubi ſic de Patre Deo loquens: *Qui proprio filio ſuo non pepercit: ſed pro nobis omnibus*

tradidit illum: quomodo etiam non cum eo omnia nobis donauit?

Omnia igitur (Auditores) omnia, inquam, in Chriſto, & cum Chriſto, Dei Virginiſque filio, hac & conciliatrice donata ſunt nobis, & emptrice comparata: quæ per illum, & ab illo deſignata, condita procreatáque fuerunt. Porrò omnia cùm dico, planè loquor, & Latinè: nec ea ſolùm intelligo, quæ viſu, vel auditu capere, vel animo complecti poſſumus: non terras, non maria, non cælum, ac ſidera: non vaſtiſſimum hunc vniuerſitatis totius ambitum: ſed iis potiora, & præſtabiliora multò: præ quibus illâ, quamlibet magna, puſilla ſunt; quamlibet pulchra, fœda ſunt; quamlibet ſplendida & illuſtria; ignobilia ſunt, & abiecta.

Hæc ſi ſana mente, ac prudenti iudicio ponderare vacet: ſi non vana, & fallaci obducta fuco ſpecies illudat; quiſquámne ſe vltrà continêre poterit, quin geſtiat animo, & ex iſtis tenebris erumpere in lucem: & ad illa ſpe ac voto maiora, in quibus vera cum ſalute libertas, & tranquillitas ineſt, aſpirare contendat? Interim verò, dum eorum plena copia differtur, non ſe miretur (id quod hodierna per Mariam emptione factum eſt) ad tantum honoris & opulentiæ culmen ex infima egeſtate, ac miſeriâ repente eſſe prouectum?

Vetus exemplum repetam ex Græcorum annalium memoria; ex quo vis illa percipi poſſit vehementis, & impotentis lætitiæ, quam bonæ, beatæque res afferunt, affatim ac ſubitò

præter ſpem hominibus oblatæ. Aſiæ rex olim dicitur fuiſſe neſcio quis; ſiue Antiochus Magnus, quicum Romani bellum fecerunt; ſiue Mithridates alter eiuſdem populi terror. Is cùm puellam quandam adamaſſet eleganti formâ, ſed humili patre, & vno de plebe genitam, eam ſibi in coniugem decreuit adſciſcere. Mittit ex improuiſo nuntios ad patrem, qui regiam ei affinitatem offerant. Hic tam inſperata re perculſus, & attonito ſimilis, ſine mora cum virgine properat ad regiam. Fiunt eâdem die nuptiæ. Quibus regali magnificentia celebratis, domum cum ingenti gaza plebeius ſocer, ſed iam aureo torque, ac purpura ornatus, in equo purpurâ itidem inſtrato dimittitur. Duodecim ei adiunguntur regij ſatellites cum plauſtris totidem onuſtis auro, argento, gemmis, pretioſa veſte, ac ſupellectili. quæ cùm agi ante ſe videret ſocer ille, ingenti elatus gaudio, nec ſui compos, per vicos vrbis clamaſſe fertur: Mea iſta ſunt, ô ciues, mea ſunt iſta omnia. hæc mihi Rex vniuerſa largitur.

Nónne ſi is eſſet Chriſtianus quiſque, qui eſſe deberet, hoc vel ſimili impetu religioſæ mentis & præſentem huius diei fructum, & futuræ ex ea ſpem felicitatis exciperet? Nemo de ſuâ ſorte, ac vitæ ſtatu, aut calamitate queratur. Nemo ſe alienari à Deo, vel parui ab eo fieri, contemníque putet: Habet vnde ſordes ſuas, & inopiam vel infimus quiſque ſoletur, ſi ad iſta tam præclara & vltrò, ac nolenti propemodum obtruſa, & ingeſta conuertat animum; atque ad

vſum vitæ ac ſtudium adhærere patiatur.

Sed incautus eò propemodum incido, quod vitandum initio mihi eſſe decreueram: neque collati hodie per Virginem muneris ſimplici profeſſione contentus, ad vos inſuper cohortandos abutor oratione hac, & patientiâ veſtrâ. Quod equidem vti, ſi poſſem aſſequi, facere non nollem; ita quia nec poſſe me ſentio, nec decere perorantem id ætatis arbitror, facilè probantibus vobis, ac pudoris mei rationem habentibus omittam. Quamobrem continebo me, & oratoriam noſtram longo interuallo repoſitam in hunc locum, hactenus tendere iubebo. Verendum enim eſt, ne prodeundi hûc, & dicendi permiſſa libertate ſi intemperanter vti velit, audientium, pro ea quam ſperat approbatione, ac gratia, offenſionibus, & faſtidiis adhæreſcat.

DE EIVSDEM BEATÆ Virginis Aſſumptione,

ORATIO QVARTA.

Ipſo die , in Parthenico Sodalitio ab I. P. H. B. dicta.

EST in officij lege poſitum humanitatíſque communis (Auditores) vt qui hoſpitio alterius excepti ſunt , non in aditu ſolùm ipſum blandè comitérque ſalutent : ſed id multo in diſceſſu accuratiùs prolixiúſque faciant. Mihi verò qui in hoc elegantiorum litterarum contubernio aliquot iam annos hæſerim , priùs hinc digredi atque altiùs euolare nefas arbitror, quàm inſigni gratiæ ſignificatione honeſtam ab illis miſſionem impetrare ſtuduero. Ea porrò cuiuſmodi eſſe poſſet cum animo reputanti , memoria eſt diuinitus iniecta religioſiſſimi temporis, quo meum & erga litteras iſtas ſtudium, & in Beatiſſimam Dei parentem communémque præſidem, amorem voluntatémque teſtarer. Quam cùm perpetuò maximis meis temporibus præſentem & ſalutarem ſenſerim , atque & in hoc litterarum humanitatíſque curſu illius ope ſim adiutus, & in reliquis proſequendis ſtudiis eandem affuturam

mihi ſperem; tot in me collatis, ac ſperatis beneficiis, hoc qualecunque eſt tribuendum putaui. Suſceptæ igitur à me partes ſunt de hodiernæ celebritate lucis, ac ſanctiſſimæ Virginis laude dicendi: & vobis vti ſpero fauentibus ac probantibus ſuſceptæ. Quas ſi minùs exequi potuero: id quod neceſſe fore propemodum video, non æquitate me ſolùm tuebor (Auditores) veſtra: ſed illud etiam, quod in hac tota actione mihi propoſui, certa nihilominus ratione perficiam. Cùm enim grati ad animi teſtificationem conatus, vt dixi, noſter ille referatur, quo minor facultatis & ingenij laus fuerit, eo pietatis erit ac voluntatis illuſtrior. Malo autem, cùm ei ſim obſequutus, grati in bene meritos, & officioſi famam conſequi, quàm audacis & ambitioſi nimiùm vereri. Atque vt de me loqui aliquando deſinam, de re autem ipſa tandem aggrediar: duplex eſt caput hodiernæ religionis, à quo, & publica hilaritas omnis, & ſolemnis hæc Oratio debet proficiſci: alterum, ſacroſanctæ Virginis felix iucundiſſimíque ſomni ſimilis exitus; alterum triumphantis in cælo pompa, Ordinum omnium concurſu ac lætitiâ celebrata. Sed vt poſterius iſtud facilem & explicatam rationem habet: ita de altero quæri non immeritò poteſt; ſatíſne ſit iuſta filiis de parentis funere cauſa gaudendi. Etenim habeat ſanè iucunditatis fructum Mariæ triumphus: celebretur omnium gratulatione præpotentis ad Filij dexteram Matris aſſeſſio: prædicetur in eam col-

lata omnium poteſtas, ac cæli terræque dominatus. Tametſi ſunt Angelorum cæleſtiúmque ciuium propria iſta magis, ad quos pompæ apparatus ille præcipuè ſpectat: ſint tamen homines, vt patrocinij illius, ſic gloriæ ac lætitiæ participes. Hoc igitur contenti eſſemus vno: ſileremus de triſtiſſimo illius obitu: non eam ſollemnis diei partem attingeremus, quæ quantum cælo decoris ac ſplendoris attulit, tantum terris eripuit. Nónne vt iis olim, qui tum viuebant, mortalibus acerba mors illa fuit, ſic eiuſdem modò nobis luctuoſa memoria debet videri? Dicat aliquis non eam lugendam eſſe mortem, ex qua tantum ad nos boni ac commodi peruenerit. Faterer equidem, ſi id conſtanter & vbique fieri viderem, vt quod ſumma vtilitate compenſatur, ad id nulla ægritudinis ſignificatio, nulla mœroris adhiberetur. Sed ſi ita eſt, quod in Matre valet, valeat, Auditores, in Filio; cuius iniuſta crudeliſſimáque nex, quo fuit humano generi, quàm illa, fructuoſior, nullum, ſi verè illud vſurpatum eſt, ſenſum debet doloris afferre. Sed ſi contrà fieri maiorum ritu & inſtituto videmus: ſi anniuerſario, non tam die, quàm luctu, gemitu, ſquallore Eccleſiæ totius, ac ſordibus, mortis illius conſecrata memoria eſt: ſi quo quiſque pietate ac religione flagrantior eſt, eo vicem illius acriùs dolet, cuius ſupplicio recuperata totius naturæ ſalus eſt; profectò aut huic diei, Virginíſque morti ſuus quoque tribuendus eſt dolor, aut ſimili in re tam diſſimilis facti alia

nobis eſt cauſa quærenda. Nec ea verò præcipua Virginis huius, ſed cum ceteris Sanctis communis debet afferri. Nam dum illorum nullam, ferè, præterquam Obitus memoriam feſtis ac cerimoniis honeſtare ſolemus, hæc ipſa inſtaurandis illis hilaritas ac lætitia, non funeſtatos contagione mortis dies, ſed ad voluptatem notatos ac conſecratos eſſe declarat. Sedenim ſingularis ille Chriſti crucis & ſupplicij fructus eſt (Auditores) vt quæ probroſa hactenus, & ſempiterna ſceleris ignominiâ inuſta mors erat, ea deinceps in Sanctis non turpis, non formidoloſa; ſed honeſta, ſed glorianda, ſed, vt cum Propheta Rege dicam, pretioſa eſſe cœperit. Magna ſunt, & admiranda prorſus in humanum genus à Chriſto deriuata beneficia: magna certè. Atque vt præſtantiora diuinioráque multa ſint; iucundius, hoc quidem vitæ ſtatu, neſcio an eſſe poſſit vllum, quàm quòd vim omnem mortis ac maleficium interitu ſuo & cruore reſtinxit. Fuit hoc profectò, fuit, quòd ſub ipſum cruciatus ſui tempus inuſitato mortis horrore perfundi ſe paſſus eſt. Hoc ille iacentis, & abiecti mœror: hoc toto corpore profluens ſudor ille ſanguineus agebat: ad id amariſſimo felle temperata potio: mors denique ipſa pendentis ac deformati corporis pertinebat; vt traiecta in ſe & exhauſta mortis aſperitate, non modò non inſuauem illam amatoribus imitatoribúſque faceret ſui, ſed honorificam etiam ac decoratam relinqueret. Quæ enim ex illo tempore cogitationes

hominum! quàm diuerſa rerum exiſtimatio! quàm non iidem ſenſus animorum, ac iudicia fuerunt? Mortem antea non impij, non ſcelerati; ſed vel ſanctiſſimi, & integerrimi quique pertimeſcebant. Nunc vltrò etiam appetunt iſti, & diſſolutis, vt ille quondam, corporibus, eſſe cum Chriſto cupiunt. Mortuorum olim contactu pollutos ſe, contaminatóſque putabant; nunc illorum reliquias atque oſſa venerantur omnes: niſi purus & caſtùs attrectare nemo non metuit. Quis ſine lamentatione ac querela veterum Patrum, quis aliter, quàm inuitus & gemens ex hac vita diſceſſit? Confer cum iis noſtrorum alacritatem ardorémque Martyrum: exultantem in morte, atque in crudeliſſimis tormentis ſalientem & geſtientem lætitiam: nónne cùm par, & eadem in vtriſque natura fuerit, rei ſtatum ipſius eſſe neceſſe eſt, conditionémque mutatam? Iam ſi eiuſmodi, poſt Seruatoris obitum, mortis eſt facta conuerſio; quid miramur aut huic obtemperaſſe legi Matrem, à qua ne legis quidem auctor Filius immunis eſſe voluerit; aut illius Eccleſiam reuereri amplectíque memoriam, quam in Chriſto timere primùm deſiit, in Martyribus verò præſertim didicit cum voluptate ſuſcipere? Hoc enim Martyrum proprium eſt, eorum vt mors ipſa potiſſimùm; in pleriſque etiam ſola, celebretur. In ceteris non tam mors ipſa, quæ pœnæ imbecillitatíſque ſignificationem habet, quàm mortem conſecuta felicitas, & hic primus in cæleſte regnum introitus ad decus glo-

gloriámque deligitur. Iam verò cuinam dubium eſt, quin ad Martyres adſcribenda Maria ſit? Adſcribendam dico? quin illos præſtantia, non vitæ duntaxat, ſed Martyrij, ac grauitate ſuperarit omnes, nego eſſe qui diffiteri iure poſſit. Qui enim aliter poſſit non video, quàm vt Diuinum illud ſancti Spiritus oraculum, quod interpretis Symeonis cycnea voce patefactum eſt, vanum atque irritum vnà fateatur. Magnum eſt, ſed alienum fortaſſis hoc tempore, quantum illa toto vitæ curſu, quantum patiente ac moriente Filio, quantum deinceps ærumnarum moleſtiarúmque tulerit, referre. De mortis genere ipſo non priùs diſputo, quàm hîc apud vos decreueritis, quid ſit in quo Martyrij vis & natura conſiſtat: vt ex eo cuiuſmodi Virginis obitus fuerit, ac quid ſit omnino quod in mea Oratione poſui, faciliùs exiſtimetis. Quid eſt igitur quod Martyrem facit? aut cui rei tam illuſtre nomen tribuitur? Num pœnæ ac ſupplicio? nimis hoc quidem ineptum eſt. At cauſæ ipſi præterea ſupplicij? Neceſſaria eſt illa profectò, vt ob Chriſtiani propugnationem nominis, vel tuendæ iuſtitiæ cauſa patiatur. Sed num hoc tantum decus ſola merebitur, quæ ita pleriſque, Apoſtolo teſte, non defuit, nihil vt iis ad gloriam & immortalitatem profuerit? Aliud eſt igitur ſine quo cùm lethi propter Chriſtum dolorîſque ſuſceptio caret honeſtatis fructu; tum ipſum difficillimarum ab rerum tolerantia ſeiunctum eſſe non poteſt; cum mortis verò plerunque, ſi conſtantius ac vehementius ſit, per-

peſſione coniungitur. Cùm eiuſmodi amorem eſſe Dei charitatémque mihi dederitis, tum illud de Virginis martyrio, ac triumpho potiùs, quàm morte, quod conſequens eſt, tenebo. Non enim carnificis illi manus ac ferrum vitam eripuit; ſed qui martyres facit vehemens Dei amor extorſit. Non illius ſciſſa ac laniata membra ſunt; non rota, aut equuleo diſtenta; non incendio flammíſque conſumpta: ſed intima pectoris acutiſſimo mucrone transfixa: mens, animus, ac voluntas ardoris ac deſiderij æſtu liquefacta ſunt. Cuius vis cùm in ipſum poſtremò corpuſculum incubuiſſet, totum illud eſt, quod ſpiritus ac vitæ reliquum erat, exhauſtum. Quamobrem non pœnam habet iſta mors, nec peccati, aut ſceleris infamiam, ſed triumphi, vt ſæpe dico, & cogitandum ſæpius eſt, ſplendorem, ac magnificentiam. Neque qui tum interfuerunt aliter illam interpretati ſunt; neque nos, qui hanc ab illis memoriam accepimus, aliter eam repetere venerarique debemus. Gaudeo vehementer (Auditores) iniectam imprudenti mihi mentionem hominum iſtorum, ac temporum. Nihil enim erat quod vel meditatus afferre aptiùs poſſem, quàm quæ illius in morte geſta ſunt, ea vt hoc loco proponerem. Vetus iſta narratio eſt, atque & propter auctorum grauitatem probanda nobis, & ad illius, de quo agimus, fidem triumphi cum primis opportuna; inſtante iam Dei Matris obitu excitos diuinitus Apoſtolos omnes, qui quidem in viuis erant, & ad eius cohoneſtandas

exequias variis ex locis fuiſſe collectos. Mirum dictu eſt (Auditores.) Cùm ab Oriente ad Occidentem toto orbe diſſipati forent, & à ſe mutuò tanto terrarum ac marium interuallo diſiuncti, repentè, nullo cuiuſquam monitu, aliquo inſtinctu afflatúque concitati, Hieroſolymam ad ædes Virginis confluunt. Mirari primò, nec ſuis oculis credere: & cùm ſe ſolos accurriſſe crederent, reliquorum aduentum obſtupeſcere. Quid multa? Iacentem in lectulo, ac ſe iam ad mortem parantem adeunt vniuerſi: circunſtant: nulla in ea mortis indicia, macies pallórque nullus: vt niſi id affirmaret ipſa, mori eam ſuſpicari nemo poſſet. Quæ tum oris ac frontis maieſtas! qui coniectus oculorum! quantus decor! quanta ſpecies ac dignitas! Etſi id cum animis noſtris vtcunque cogitare poſſumus; vnius, qui tunc aderat, Dionyſij teſtimonio cognoſcite. Deæ cuiuſdam loco ſe illam habiturum fuiſſe ſcribit, niſi vnicum Deum eſſe, Deam porrò nullam Chriſtiana fide didiciſſet. Breue dictum: ſed ab non vano homine ſanè luculentum. Cetera quæ deinceps conſecuta ſunt quid attinet dicere: aſtantium ſuſpiria ac manantes præ gaudio lacrymas: pro ſe cuiuſque, quandiu vixit, poſtulationes, ac preces: mortua iam, acclamationes vocéſque gratulantium; tum exequias pompæ ſimiliores, quàm funeris; poſtremò inter viuorum officia auditos triduo toto cæleſtium concentus, & indictam cælo terráque

lætitiam? Cùm hæc vix adumbrare cogitando, oratione declarare nullomodo poſſim; alterutrum verò præſtare ſe poſſe, niſi inſanus, profiteri nemo queat; erit ſcilicet qui alteram triumphi partem à me requirat, ac quid in cælo ſit geſtum, quò nemo noſtrûm adiit, explicari ſibi poſtulet: quis illîc magnificentiæ & ſplendoris apparatus; quis ad eius aduentum Angelorum ſe ac Beatorum comitatus effuderit: quanto cum honore ad æterni Patris producta conſpectum, atque à Filio deducta ſit: vt ibidem ſupra omnes immortalium ordines euecta, atque inſignibus regni decorata, ſublimi in ſolio, cæli, terræ, inferorum, mundi denique totius Regina conſederit. Quæ quanquam orationis huius propria ſunt, nimium eſt iniqui tamen hæc à nobis expectare: flagitare autem impudentis, niſi cuius importunitatem ſingularis in Virginem amor & pietas deprecetur. Plus aliquanto quàm hominem oportet eſſe, qui hæc tolerabiliter attingat: qui aliter illuſtrare hæc tractando confidat potiùs, quàm ingenij culpa deformare, pecudem eſſe non hominem. Quocirca tantas támque eximias res malo vos cogitatione depingere veſtra, quàm oratione mea deſcribere. Sed ne quiſquam de me tamen, vel iniquiſſimus, iure poſſit conqueri; faciam, vt potero, & huic oratoris officio, & præſentis diei religioni, & veſtræ de optima parente exiſtimationi ſatis: ac quàm magnificè habita acceptáque ſit, breuiſſimè ſic complectar. Triumphantem in cælo Mariam Deus excipit, eandémque

matrem Filius, Pater filiam, ſponſam Spiritus; ô matrem! ô ſponſam! ô filiam! Magnam vim, magnam religionem; magnam inter homines ſanctitatem poſſidet triplex illud vinculi cognationiſque genus. Atqui quæ hîc apud nos iura propinquitatis valent, propterea quòd natura continemur, ea ſunt apud naturæ conditorem, naturæ lege ſanctiora. Honorare ſponſam, amoris ac beneuolentiæ eſt. quid eſt Deo in amore flagrantius? Indulgere filiæ, pietatis: quid illo benignius? At matrem colere, matrem venerari, non pietatis, ſed officij; non amoris, ſed iuſtitiæ; non voluntatis eſt, ſed neceſſitatis. Qui maternum ab hominibus nomen tam valde ſuſpici obſeruarique voluit; qui ad parentum cultum filios ampliſſimis præmiis elicere conatus eſt, quid ſua ipſe faciet in cauſa Filius Deus? quod honoris? quod reuerentiæ? quod obſequij genus in Matre prætermittet? Quæ & qualis ſit Mater illa, nihil dico. Quanquam eſt iſtud egregium ad honoris demonſtrandam magnitudinem, docere, quàm excellens in ea cui honor habeatur, virtus extiterit. Sed illic hæreo; hoc amplector; materno ſum nomine & appellatione contentus. Hæc vna mihi & breuiter dicere volenti, & magna complecti cupienti Filij ac Matris ampliſſima vox videtur. Addant quibus otium eſt cetera; ſunt enim infinita. Sed quoniam ex eo quod propoſui pendent, eodémque reuoluuntur omnia: quod meæ fidei ſuſceptæque prouinciæ ſatis erat, fontem ipſum vobis, ac rei totius caput aperui. Spero vos, quæ contra-

cta & aſtricta hîc à nobis audieritis, explicaturos, & perpolituros eſſe diligentiùs. Ex quibus alterum illud perſpicuum fore cuiuis arbitror, iure hos à nobis aſciſci celebraríque dies, ac reliquum omne Virginis obſeruandæ ſtudium æquiſſimis de cauſis eſſe ſuſceptum: Niſi fortè, quam in cælo tantam ad gloriam ſplendorémque prouexerit, illuſtrari nomen eius in terris, & apud nos in pretio ac commendatione eſſe noluit. Cuiuſmodi Hæreticorum vox & opinio, vt vulgò omnes intelligunt, perfidioſa ac nefaria; vt ego interpretor, hominis indigna ſenſu, pari & auctorum infamia, & iniuria temporum, ac piorum omnium dolore percrebuit. Contra quam Eccleſiæ nos ritu inſtitutóque maiorum; tum Dei ipſius exemplo & auctoritate fretos, par eſt omni contentione reſiſtere. Etenim quæ in Chriſto iuſtiſſima colendæ matris cauſa videtur, eadem in Chriſtianis omnibus neceſſaria debet videri: propterea quòd qui patrem agnoſcunt venerantúrque Deum, vnà & eius parentem reuereri neceſſe eſt, eadémque, qua contineri ipſum modò diximus, illius honorandæ lege conſtringi. Sed vt officij huius admonendi plerique, caſtigandi etiam oratione mea improbi ſunt: ita vos poſtrema eius laudandi parte, (Sodales optimi) vos enim communem hanc venerandi rationem ſingulari obſequij genere cumulaſtis: dum & vos fidei eius ac tutelæ traditos, & fautores dignitatis, ac propugnatores eſſe haberíque vultis. Quo ego vos nomine amo & amplector (Adoleſcentes) & vt ſempiter-

nam hanc mentem conſeruare ſtudeatis, hortor, ac moneo. Simul illud peto; ſi hæc ad honorem Dei Matris habita; veſtrâ etiam, quod perſuaſum habere vos cupio, causâ recepta eſt Oratio; vt me, perinde ac deuotionis erga illam habuiſtis, ſic meritorum apud eandem veſtrorum, ac votorum participem eſſe patiamini. Ego viciſſim illud mea fide polliceor; nullo me vnquam loco ornandis vobis ac tuendis defuturum. Vt hanc omnes laudationem meam non exigui ſpecimen temporis, ſed perpetuæ voluntatis obſidem fuiſſe cognoſcant.

IN ANNIVERSARIO Magni HENRICI die

ORATIO QVINTA.

Dicta ab Rhetoricæ Auditore in Collegio Remenſi Societatis IESV. *Anno* CIƆ IƆC XI.

FVIT hæc quorundam olim Principum in retinenda maieſtate religio, (Viri ornatiſſimi) vt exprimendæ imaginis ſuæ poteſtatem non promiſcuè omnibus, ſed iis duntaxat facerent, qui in ea propiùs ad veritatem exprimenda ceteris antecellerent. Quæ quidem nobis lex ſi effingenda Magni HENRICI ſpecie animi foret propoſita: ſi eam nemo, niſi qui id perfectiſſi-

mè facere poſſet, attingeret; ne vnus quidem eſſet, qui illum prædicare auderet, hactenus repertus. Neque enim tanta cuiuſquam in exprimendo ſolertia, ac facultas eſſe poteſt, vt qualem adhuc virtutum illius effigiem retinemus, talem nobis oratione ſua repræſentare poſſit. Sed cùm communi omnium bono ſit ille quondam diuinitùs huic imperio datus, & idem communi iactura omnium ac mœrore præreptus, abſurdum fortaſſis, atque etiam iniquum fuerat, non communem quoque laudandi huius ac conquerendæ tantæ calamitatis licentiam eſſe velle. Quare ſecundum acerbiſſimum illum ac luctuoſiſſimum diem, ſiue recenti adhuc plaga vehemens quidam dolor in gemitus, ac querelas erumperet; ſiue mœrentibus & oppreſſis omnium animis ſolarij aliquid eſſet adferendum, à pleriſque eſt officij munus vtriuſque meritò ac cum laude ſuſceptum. Nunc verò cùm partim diuturnitate ipſa repreſſus, partim nouæ lucis atque Imperij exortu mitigatus dolor ille deferbuerit, quid eſt quòd tanto interuallo delectus hodie ſum ex omnibus, qui anniuerſaria maximo atque inuictiſſimo Principi iuſta totius Scholæ nomine perſoluerem? Non dicam id quod veriſſimè dicere poſſum, miſerrimo hoc & inopinato luctu perculſis abſorptíſque mentibus noſtris omnem tum eſſe non modò vſum eloquentiæ, ſed & ſenſus ipſius ac pæne ſermonis extortum. Hoc igitur dicam; conſolandi leuandíque doloris veſtri partes (quæ in eo potiſſimùm genere orationis requiruntur) mini-

mè ætati noſtræ conſentaneas fuiſſe; laudandi verò ac celebrandi Principis, ne nunc quidem tardiores videri. Quis enim ſeriùs laudari eum poſt annum exiſtimet, cuius immortalis ſempiternáque nominis fama omnium in ſæculorum memoria monimentíſque verſabitur? Quare illud mihi, bona veſtra cum venia, faciendum hodierna die decreui, vt ab inueterata illa, & acerba, quam de eius pridem obitu concepiſtis, ægritudine vos ad illius contemplationem virtutum, admirationémque traducerem; deſcriberémque eum vobis oratione mea Principem, quem vnum his temporibus oſtendiſſe mihi Diuina Sapientia videtur; in quem cùm genera laudum omnium atque onamentorum congereret, tum innumera maximáque potentiæ ſuæ ac prouidentiæ miracula conferret. De quibus ego cùm pro conceſſi exiguitate temporis diſputare apud vos cogito, video quidem quàm & mihi multa prætererire, reliqua verò curſim exequi neceſſe ſit; & ad hæc ipſa tamen explicanda quàm parum ab vſu dicendi,& ab ingenio paratus accedam. Sed horum alterum, præter æquitatem, facilitatémque veſtram, eorum inſuper, qui mihi id pro ſuo iure oneris mandarunt, voluntas, atque auctoritas ſubleuat; alterum vt vel inuitus faciam, partim me temporis ratio, partim dicendarum rerum infinitas hortatur. Itaque ea ſola nobis ornamenta decerpenda ſunt, quæ illius potiſſimùm animi propria, quæ non oblata fortuitò: nec vſitata denique, aut vulgaria ſeligantur ex omni ea copia, quam

mihi in qualibet vitæ parte immenſa rerum ab eo geſtarum varietas ſuppeditat. Sed antequam robuſtiora illa ac firmiora perſequar, ſummatim prima ætatis tyrocinia, ac rudimenta complectar, vt quibus ex initiis tantæ laudes excitatæ ſint, faciliùs intelligatis. De quibus ſic, opinor, ſtatuetis; neque eum, qui florentiſſimo huic Regno præfuturus aliquando eſſet, aliter inſtituendum fuiſſe: nec qui ita inſtitutus eſſet, non eidem præfici tandem, vt cetera omnia deeſſent, oportuiſſe. Scio pleriſque citra informationem ac diſciplinam vllam, ſatis eam, quam à natura expreſſerant, indolis felicitatem atque induſtriam fuiſſe: nec paucos commemorari Principes audio, qui ſerò admodum tractandis Imperij gubernaculis admoti, quod nunquam didicerant, idipſum ſtrenuè, ac præcipua cum laude geſſerunt. Sed hoc vnà tamen intelligo, nec eam eſſe omnibus naturæ bonitatem attributam, & quicunque ea freti aliquo in numero atque exiſtimatione eſſe potuerunt, ſi ad eam inſtitutionis ac diſciplinæ cultus acceſſiſſet, multo clariores atque illuſtriores futuros. Quorum è numero Chriſtianiſſimus ille Princeps noſter extitit, cuius ingenij vim, ac naturæ præſtantem ſolertiam, cùm acutè ab eo dicta, ac prudenter, conſideratéque geſta quamplurima, tum verò omnis illa in adipiſcendo conſtituendóque Imperio diuina planè atque admirabilis ratio declarat. Quòd niſi tanta ingenij celeritas ac ſagacitas mentis educatione perfecta ac perpolita foret, non eſſet tam eximium decus maxi-

mis in rebus conſecutum. Credo enim ingens adeò ſubinde moleſtiarum ac negotiorum pondus ſuſtineret lautè atque indulgenter habitus adoleſcens; eam præberet arduis ac deſperatiſſimis in rebus animi tolerantiam, atque conſtantiam; vigiliis ſe atque angoribus conficeret; perferret inediam; nullis corporis animíque fractus incommodis perſtaret; tandiu denique ſumma in rerum omnium egeſtate ac ſolitudine verſaretur, niſi ad incredibile quoddam robur animi à natura fictus, diſciplina edoctus, vſu eſſet atque aſſidua meditatione perductus. Non enim illius infantiam puerilium annorum illecebræ ac voluptates exceperunt: non nutricum blanditiis emollitus in otio, ac iocis elanguerat; non inter conuiuia atque epulas garrire; non in ludis ac ſaltationibus frequens eſſe conſueuerat. Nullæ in ea ætate deliciæ, nihil in victu aut cultu corporis profuſum; nihil ſolutum, ac languidum; nihil quod luxum atque inertiam redoleret; ſumma vbique frugalitas, ac parſimonia: cibi potúſque non præcipua, aut exquiſita præ ceteris, ſed vulgaris quotidianáque ratio; veſtitus obſoletus; cetera cum famulis communia; vt ex tanta nobilitate nihil tamen eſſet, quo eum ab aliis diſcernere, præterquam animi præſtantia, ac regia totius corporis dignitate, poſſes. Iam laboris, exercitationíſque quàm acris, quàm aſſidua contentio! cùm aſperis in locis, atque incultis, inter præruptas montium ſalebras modò per accliues deuexáſque rupes curſu ad verticem ſubiret; modò in campo pla-

nitiéque decurreret: hîc armatus gladio cominus certaret, illîc eminus iaculum torqueret; aliàs ænea fiſtula glandem ad ſcopum dirigeret; pedes ſæpiùs, nonnunquam equo vectus ludicra atque vmbratili meditatione armorum vſum ac militiam prædiſceret. Quid in venatu? quoties per horridos ac deuios ſaltus ferarum cubilia perſequens, niue ac pruina obriguit? aut immodicis ardoribus toſtus camporum patentium puluerem cum ſudore commiſcuit? Rectè enim illud de vetere Perſicorum diſciplina Principum vſurpauerat, vti nunquam niſi labore attritum ac defeſſum corpuſculum cibo ac ſomno recrearet. Eiuſmodi illa priſcis temporibus fuit vetuſtiſſimorum Heroum, ac celeberrimorum Principum educatio. Sic apud Chironem Achilles, flóſque Græciæ maximè totius, duriſſima olim miniméque molli diſciplina habiti feruntur. Et, vt à fabulis diſcedam, ab iis tolerantię ac virtutis primordiis ad tantum ſplendorem Alexandri fortuna progreſſa eſt: Nec diſſimilia vtriuſque Africani fuerunt ſub fortiſſimis parentibus rudimenta militiæ: Per hæc eadem Annibalis virtus ſummum in bellicoſiſſimæ gentis, ac potentiſſimi Imperij terrorem exereuerat: Ab iis notiſſimi illi toto orbe Duces, atque Imperatores, Græci, Romaníque pariter, ac noſtri, ad inſignem primùm corporis, animíque vim, tum ſæculorum omnium notitiam ac celebritatem effloruerunt. Quorum omnium geſta atque præconia, non quemadmodum facere oratores amplificando ſolent, noſtri il-

lius laudibus etiam aliquanto minora conſtituam. Salua cuique ſua ſit virtutis ac dignitatis exiſtimatio. Non eſt huius præſertim ingenij, ac tenuitatis meæ, præſtantiſſimorum ac diuinorum hominum diſſimillimis in rebus ſimilem fortaſſis gloriam atque induſtriam contendere. Sed hoc tamen non modò omnibus vobis (Auditores) ſed vel illis ipſis fauentibus ac conſentientibus obtinebo; neminem ex iis vnum extitiſſe, cuius pari in generis ac familiæ nobilitate, grauioribus incommodis pæne vita omnis exercita iactatáque fuerit; quíque ex tam obſcuris deſperatíſque principiis ſubitò ad tantam opum ac potentiæ amplitudinem aſpirarit: qui difficillimis tempeſtatibus, aut pulſatus crebriùs, aut violentiùs laceſſitus, vſque eò conſtanter fortitérque diſcuſſis ac ſuperatis omnibus emerſerit. Neque verò ignota ea cuiquam ſunt, aut incredibilia quæ dixi: neque eiuſmodi, vt à me potiùs expectanda, quàm à veſtra omnium conſcientia experientiáque tantarum rerum fides comparanda ſit. Hærent adhuc in animis infixæ veſtris, ac pæne dicam ſenſibus; neque vobis modò, qui iis intereſſe cùm agerentur, aut in partem etiam earum aliquam venire ipſi potuiſtis, penitùs exploratæ compertæque ſunt, ſed ad nationum regnorúmque omnium famam percrebuerunt. Quo mihi ſanè difficilior apud vos reliqua oratio eſt, quòd in commemorandis iis, quæ mihi exornanda potiſſimùm in eius vita ſumpſero, non tam quid à me dictum fuerit, quàm quid dici de iis po-

tuerit, aut omiſſum, propter ignorantiam, vel infinitatem ceterarum rerum ſit, exiſtimaturos vos intelligo. Sed hoc me tamen ipſum conſolatur, ac recreat, quòd vobis vtique teſtibus adulationis nulla mihi deprecanda ſit opinio: habebítque hæc mea oratio, ſi minùs in aſſequenda tantarum rerum dignitate gloriam, in prædicanda certè fidem, exiſtimationémque veritatis. Non enim vereor, cùm nondum ab eo adoleſcente, ſed pæne puero, inuſitata quædam, atque anteactis ſæculis inaudita, ſuſcepta eſſe dixero, cùm eum vixdum totos ſedecim annos natum, partium Imperatorem appellatum, commiſſos in eius fidem ingentes exercitus, infinitorum hominum ciuitatúmque ſalutem concreditam, turbulenta atque impedita negotia conſilio eius explicata, incredibili ſolertia adminiſtrata, ſumma cum felicitate tranſacta confectáque protulero; non inquam vereor, ne mihi ex iudicio, atque opinione cuiuſquam, aut vulgari ætatis illius ac ceterorum hominum captu fides atque auctoritas derogetur. Nihil hîc ego de cauſa mihi diſputandum cenſeo; non quæro quánam occaſione ciuiles ij motus, in quos coniectus ille atque præcipitatus eſt, cuius ſint culpa concitati. Hoc mihi ad purgandum Principem ſatis eſt, quòd inuitus, quòd aliis cogentibus, quòd domeſticis calamitatibus, quòd quotidianis vitæ periculis, quòd officij neceſſitate, quòd acerbitate inimicorum, atque odio compulſus, in eas ſe temporum procellas ac tempeſtates commiſerit.

Itaque quòd in his potiùs tumultibus ac ciuilibus bellis cùm vniuerſa illius propemodum vita, tum primum illud adoleſcentiæ curriculum conſumptum eſt, id ego fatali cuidam atrocitati temporum, ac neceſſitati tribuo: hoc egregiæ virtutis ac præſtantis animi proprium puto, quòd tot deinceps certaminibus exercitus, tot iactatus incommodis, tot ærumnis atque anguſtiis circumuentus, præter fidem hominum plerumque victor, ſaluus ſemper atque incolumis euaſerit. Quod enim, Deus bone, tempus illud fuit, cùm intentis in hunc vnum potentiſſimi Regni viribus, ac totius Imperij robore collecto, ſolus ex aduerſo inuictus ille quidem, ac conſtans, ſed deſertus, atque ab omnibus copiis, ac præſidiis imparatus, & iuuenis conſiſteret? Qua tum magnitudine animi ac fortitudine validiſſimorum hoſtium impetus ac ferociam repreſſit! vt quatuor vix totis annis decem omnino inſtructiſſimos ac fortiſſimos exercitus ſuſtinuit! Quid ſimile vnquam oſtentator ille decoris ſui Græciæ populus, aut domina quondam terrarum ciuitas experta eſt? Quæ tametſi in Pompeio ſuo Imperatoriam ante annos virtutem, plurimáque & maxima eius ope confecta bella prædicet, nihil tamen habet, quod non, vt ſplendore fortaſſe ac ſpecie maius ſit, difficultate tamen ipſa ac magnitudine ſuperetur. Quid enim cum rudibus efferatíſque gentibus negotij exercitatiſſimis, ac peritiſſimis Ducibus eſſe potuit? quos non arma ipſa, non hoſtium impetus, non

ſcientia militaris ac virtus, ſed ingenita illis barbaries, pugnandi inſcitia, inconſideratus ardor, ac temerarius, Romani denique nominis terror ac maieſtas perculerat. Quæ vt abeſſent maximè omnia, tamen pro tam illuſtri Reipubl. atque Imperij fortuna, pro tantis opibus bellicíſque ſubſidiis, nihil tam amplum atque arduum eſſe poterat, quod non vel mediocri peritiæ atque induſtriæ debitum videretur. Hîc ſiue ad eos ſpectes, quibus cum Principi noſtro confligendum in omni vita fuit, eâdem ex gente, iiſdem ex moribus, atque inſtitutis erant, qui eſſe poterant fortiſſimi: ſiue copias vtrinque, & apparatum conſideres, ita geſta omnia ſunt, vt perpetuò cum numeroſis ac confertis exercitibus, militum paucitas, atque inopia, cum profuſis ſumptibus egeſtas, cum potentia ſolitudo, cum ſecuritate ac fiducia metus, cum vſu rerum & experientia, nondum firma corroboratáque ætas in certamen veniret. Quamobrem nihil in ea omni laude, ac gloria, præter vnicam illius virtutem, ac fortitudinem, externarum rerum vlla decerpere ſibi ac vindicare meritò poſſit. Quanquam non perinde ſum ac debui locutus (Auditores.) Neque enim tam hæc illius adſcribenda viribus ſunt, quàm ſummi illius ac præpotentis Dei fauori ac voluntati tribuenda? Qui quidem ſuæ in tuendis promouendíſque Principibus curæ ac ſapientiæ clariora in nullo quàm in eo Rege ſigna atque indicia patefecit. Quod niſi ita prorſus fuiſſet, quæ vis illum, aut ſolertia obru-

obrutum his vndarum fluctibus, atque oppreſſum mole rerum ac pondere, non dicam ad imperium tam admirabili atque inſperato curſu prouehere, ſed vel ab occaſu atque interitu ſeruare atque eripere potuiſſet? Hîc ego tametſi nolo in colligendis ſuperiorum temporum calamitatibus renouare ſopitum dolorem veſtrum, nec obductam vulneri cicatricem triſtiſſima præteritorum recordatione ſcindere; libet tamen quaſi pendente manu titubanter ac ſtrictim tangere; vt cùm recentem hanc paucos ante annos flammam Reipubl. atque Imperij vaſtitatem reputaueritis animo, faciliùs & Diuini beneficij magnitudinem, & illius quem prædicamus, ſingulare decus, egregiáque in nos merita æſtimare poſſitis. Fingite igitur animis cogitationibúſque veſtris priſtini atrocitatem temporis, atque in integro poſitam rem omnem eſſe putatote. Repetite paululum apud vos quàm funeſta regni totius eſſet ac luctuoſa ſpecies; cùm domeſticis diſcordiis atque inteſtinis ſeditionibus quaſi ventis quibuſdam agitata turbatáque Gallia ſuam ipſa in perniciem atque exitium conſurgeret; cùm per omnes ciuitates ac prouincias, velut ſigno dato, ad arma, cædes, incendia, proſcriptiones, direptiones, concurſus vndique fieret perditorum: cùm nullo propinquitatis, nullo neceſſitudinis, nullo humanitatis fœdere ac ſenſu relicto, immanes atque efferati homines, imbutos ſemel cruore ciuium gladios, parentum, filiorum, fratrum, conſanguineorum iugulis ac ceruicibus

intenderent : cùm nulla, perinde vt in humano corpore, florentiſſimi imperij pars eſſet, quæ non importuni illius ac fœdiſſimi morbi contagione tabeſceret; cùm nihil mali aut calamitatis foret, quod non boni partim viderent, partim metuerent; improbi aut auderent, aut vehementer ſperarent.

Hanc ſi quis miſeri calamitoſique regni deformatam imaginem ex alto, ac tanquam è ſublimi ſpecula, proſpiceret; repræſentari vnquam illius incolumitatem, ac componi ſedaríque hos diſſenſionum turbines poſſe crederet? Non deſperatas ac depoſitas Galliæ res concidiſſe penitus vel gemeret, ſi quid apud eum amor noſtri, ſi quid communis humanitas poſſet; vel, ſi hoſtili in nos atque implacabili mente eſſet, hoc ſe iucundo certiſſimæ noſtræ cladis atque exitij ſpectaculo paſceret? Non quidvis denique exiſtimaret potiùs, quàm reſtitui in integrum illud poſſe, atque extremam ab eo peſtem ac perniciem depelli? Quòd ſi eadem illa cogitanti futurum hoc tamen certiſſimus quiſpiam auctor, vel Deus ipſe confirmaret, itáque diceret: Viden' conſumptum ſuis flammis, profligatúmque hoc imperium? Breui illud tibi ex eo incendio vnius hominis ôpera ac virtus detrahet. Veniet paulò pòſt qui lucem iis ac ſalutem afferat; cuius beneficio non modò in integrum reſtituantur, ſed & meliorem ac pulchriorem ſtatum vniuerſa recipiant. Hæc cùm ſtupens atque attonitus audiret, quemnam ad id ſibi potiſſimùm idoneum

deſcriberet? Opinor, eum qui opibus, auctoritate, potentia floreret; cui ad manum omnia abundéque ſuppeterent; qui ornatiſſimos exercitus, paratiſſimas copias, qui ciuitates munitiſſimas, ampliſſimas prouincias poſſideret; abiectum verò illum ac deſertum ſine imperio regem, ſine potentia principem, ſine exercitu imperatorem, extorrem patria, hereditate pulſum, ſpoliatum ornamentis omnibus, pæne ſingulis momentis de vita ac ſalute periclitantem, ne ſuſpicaretur quidem. O altiſſima ſemper, abditáque Dei conſilia! Meminerit quiſque qui per omne illud tempus hominum ſermones opinionéſque fuerint, ac quid ipſe animo conceperit, quid ſtatuerit, quid aut optauerit, aut timuerit aliquando: tum quid poſtea factum ſit, animaduertat: neceſſe profectò erit, fateatur, multo meliùs à Deo rebus noſtris, quàm à nobis ipſis eſſe conſultum; nec dubitabit, quin quem eò peruenturum nequaquam crediderit, aut fortaſſe noluerit, neceſſariò fuerit eligendus.

Etenim putate vos in communi Galliarum conſilio, ac quibuſdam totius regni comitiis verſari; agatur de eo rege conſtituendo, qui tot ſimul vulneribus mederi, atque inclinantem præcipitantémque Galliam humeris ſuis ſuſtinere poſſit. Ecquem igitur vna voce, omnibúſque ſuffragiis vniuerſi principem declarabunt? Nónne eum, qui quidem primùm ad ſubeundam ſuperandámque tantam difficultatum molem altiſſimâ eſſet animi magnitudine

ac conſtantia præditus? qui armorum ſcientia vſúque militari plurimùm præſtaret? deinde verò qui tam dubiis, tam formidoloſis rebus conſilio tractandis perſpicaci ingenio, prudentíque ſolertia eſſet inſtructus? tum, quòd allici conciliaríque homines ac pleraque beneuolentiâ perfici oporteat, in quo plena omnia eſſent humanitatis, clementiæ, lenitatis? Ad hæc, quoniam ex religionis fideíque diuortio conflata illa principiò ſunt diſcordiarum ſemina, qui veram ac ſinceram in Deum pietatem non credulitate modò quadam, ſed & vitæ ac morum profeſſione comprobaret? qui ad compenſandam bellorum iniuriam, colligendáſque fœdiſſimi naufragij reliquias liberalitatem ac magnificentiam afferret? qui in regendis ciuibus æquitatem, cum finitimis concordiam, cum hoſtibus iuſtitiam, fidem cum omnibus ac moderationem teneret? poſtremò, qui omnibus & animi & corporis ornamentis tueri ampliſſimi imperij dignitatem, ac maiorum gloriæ reſpondere poſſet? Talem arbitror, vt id arbitrio veſtro ac poteſtati permiſſum ſit, moderatorem regni vnicum ad deploratiſſimi temporis remedium quærendum exiſtimetis. Ergo is vobis, nullo veſtro conſilio, ſed diuinitus oblatus, & ſumma noſtra opportunitate huic regno impoſitus eſt, qui ita in ſeſe, quæ dico, expreſſa haberet omnia, vt non tam propter eum præſcripta, quàm de eius vita deprompta atque informata videantur. Qui ea primùm fortitudine & magnanimitate fuit; vt cùm nemo poſt con-

ditum hoc regnum grauiora ac moleſtiora perpeſſus ſit, tum nemo ſuſtinuerit ac tolerarit conſtantiùs. Cuius ab ineunte pueritia per aſſiduos labores ac quotidianas ærumnas vita eſt omnis pęne ad affectam vſque ætatem perducta. Qui à teneris annis in ludo quodam diſciplináque patientiæ edoctus, nihil vnquam earum deliciarum attigit, quibus oblectari ætas illa ſolet; nihil operæ ac moleſtiæ detrectauit, quod adultis ac grandioribus conueniret. Qui in adoleſcentia nullius fere imperatoris miles, imperator ipſe fortiſſimis ſemper atque acerrimis militibus præfuit. Qui non fictis & adumbratis concertationibus, ſed multis ac bellicoſiſſimis hoſtibus; non legendis meditandíſque domi præliis, ſed ſuis ipſe periculis; non alienis denique auſpiciis, ſed ſuo ductu & imperio bellicam ſcientiam ac militarem artem didicit. Quod enim belli genus eſt, in quo non illum fortuna ſua aut neceſſitas exercuerit? Externum, ciuile, conflatum ex vtroque, cum Regibus, cum Ducibus, cum Principibus, ſubitis atque inopinatis præliis, collatis in acie ſignis, vrbibus, aut oppugnandis, aut defendendis, variis ac diſperſis in locis: quibus ex omnibus exigua admodum offenſione, cum victoria ferè ſemper, nunquam ſine eximia laude ac gloria reuerſus eſt. Quod eo admirabilius eſt, quòd non pauca illa aut rara, ſed innumerabilia ac propè continua fuerunt. Quorum quidem iniri ratio atque ad nos peruenire memoria potuit; inſtructis ordinibus, iuſtóque ac

denuntiato prælio viciſſe ter dicitur: fortuitis autem ac temerariis quadragies: in vrbium aut caſtellorum obſidione trecenties: quibus verò in conflictibus non conſilio modò præfuit, ſed & manu ac robore decertauit, centum & quadraginta memorantur. Quanquam quod eſſe poteſt illuſtrius monumentum bellicæ virtutis ac fortitudinis, quàm iſtud ipſum imperium ex hoſtium manibus, atque ex iis, quas paulò antè commemoraui, calamitatibus ac periculis ereptum: nec ereptum ſolùm, ſed ciuitatibus ac prouinciis receptis, amplificatum atque auctum: nec auctum modò, atque ereptum, ſed ad terrorem hoſtium munitum, ad ſociorum perfugium patefactum, ad ciuium ſecuritatem firmiſſimis præſidiis ornatum, ad eorumdem vtilitatem omnibus bonis atque commodis refertum? Atque hæc qua celeritate geſta ſint, quanto porrò ſudore ac labore conſtiterint: vt infinitis ſeſe curis, angoribus, vigiliis dies noctéſque confecerit: vt vitam ſæpè corpúſque ſuum infeſtiſſimis hoſtium telis expoſuerit, ſanguinem profuderit, omnes non ſolùm optimi imperatoris partes, ſed & ſtrenui militis expleuerit: vt quadraginta circiter totos annos hiſce in certaminibus, ac partim ſuorum ſalute procuranda, partim maiorum hereditate vindicanda poſuerit; hæc & alia id genus pleraque, quòd neque comprehendi oratione omnia poſſunt, & ſunt vobis quàm mihi notiora, prætermitto.

De prudentia atque conſilio breuiter dico:

quæ quàm in eo admirabilia fuerint, aut eſſe debuerint, eædem illæ geſtæ ab eo res, adminiſtratæque teſtantur. Si enim plurimarum ex rerum experientia, agendi cogitandíque prudentia ac ſolertia comparatur: quis eo perſpicacior, cui tot ſecundarum aduerſarúmque rerum viciſſitudines, tantæ negotiorum & adminiſtrationum varietates, tametſi hebes eſſet, ac tardior, non mediocrem tamen vſum ac ſcientiam afferre potuerunt? Idem cùm à natura inſitum quoddam ac proprium haberet acumen ingenij, vt, vel citra periclitationem ac doctrinam, per ſeſe ſuapte indole niti poſſet, quantam ex amborum concurſu vim ſagacitatis ac prudentiæ in illius animo collectam fuiſſe putabimus? Quid? Bellum illud tam longè latéque diſſipatum, quo vniuerſæ Regni partes ac prouinciæ premebantur, potuítne ſine incredibili conſilio, iis, quas modò dixi, anguſtiis atque inopia ſuſtineri? Potuit poſtremò tam opportunè feliciterque pacatis omnibus, atque in poteſtatem redactis, ſedari ac comprimi? Quid ea quæ poſtmodum conſecuta ſunt; in ambuſtis ac fumantibus adhuc Reipublicæ reliquiis inſtaurandis, in tractandis mitigandíſque hominum offenſionibus, conſtituendis legibus, ſancienda regni diſciplina, externis hoſtibus propulſandis, veteri imperij dignitate recuperanda? Nec minora illa adiicio, quæ ab eadem ſunt naturæ bonitate atque indole profecta; quàm acutus in reſpondendo, quàm in capiendis intelligendíſque rebus celer, in diiudicandis

acer fuerit, ac perſpicax, non magnis illis dico ac ſeriis tantùm, ſed & minutis interdum ac leuiſſimis. Teſtis eſt omnis illa ſcitè ab eo argutéque dictorum nonnullorum etiam voluminibus comprehenſa multitudo. Teſtis eſt Italia, quam is tumultuantem conſilio ſuo atque auctoritate compoſuit. Teſtes Belgarum ac Batauorum prouinciæ, quæ ad illius ſe conſulta ſæpiùs atque arbitrium accommodarunt. Teſtes exteræ nationes ac principes, qui illius voluntatem pro legibus, pro mandatis conſilia, decreta pro oraculis amplexi ſunt.

Sed ab earum me commemoratione virtutum, rapit ad ſe iamdudum, atque omnem dicendi copiam abſorbet, quæ in eo præſertim eluxit, animi facilitas, & clementia. Hoc enim præcipuum vitæ totius ac laudis argumentum, hic campus eſt, in quo iactare ſe quamlibet magnificè ac triumphare poſſit etiam infantis atque indiſerti oratoris facultas. Hæc cetera ornamenta ſic lucis ſuæ ſplendore complet, atque amplectitur, vt contuentium oculos, non quia maior præſtantiórque reliquis, ſed quia iucundior & gratior eſt, in ſeſe vna propemodum conuertat; hæc aliis quidem virtutibus debitum, ſed huius vnius præſertim beneficio promeritum Magni illi cognomen attribuit; vt quod pauci demoliendis atque euertendis oppidis, expugnandis prouinciis, profligandis exercitibus, cruore hominum ac cæde ſibi pepererunt, id ille protegendis ſuis, conſeruandis etiam hoſtibus, liberandis ciuitatibus, pro-

pulſanda ab hoc imperio vaſtitate, prohibenda Galliæ totius internecione, quæreret. Quid enim tam cuiquam inſitum atque infixum fuit, quàm eius naturæ, manſuetudo atque humanitas? Quis tam cupidè quos maximè odiſſet, vlciſci ac perſequi optauit, quàm ille eos, qui ſe acerrimè oderant, ſeruare atque eripere ſtuduit? Quis eius quem in poteſtate non haberet hoſtis tantopere ſanguinem ac necem expetiit, quantum ille eorum ſalutem ac dignitatem, quos cum armis rebelles adhuc ac contumaces viciſſet? Quis denique optimè de ſe meritos tam prolixè liberalitérque remuneratus eſt, quàm is infeſtiſſimos quondam atque inimiciſſimos homines ſibi ampliſſimis beneficiis atque honeſtiſſimis conditionibus deuinxit? Scitis eiuſmodi in bellis ac ciuilibus diſſidiis quantæ ſimultates atque offenſiones ſuſcipi ſoleant, quàm altè repoſita penitúſque defixa in intimis ſenſibus hæreat præteritarum iniuriarum recordatio; ſic vt plerumque armis poſitis exulcerati animi dolor ac vindictæ cupiditas efferueſcat. Quæ in ſumma præſertim nobilitate ac potentia eo ardentiora ſunt, quo plus ij licere ſibi propter auctoritatem, minúſque contra quæ velint, obſiſti putant oportere. Adde his victoriam, quæ ferox vt plurimùm eſt, & impotens; adde armati licentiam, quæ regere ſe ac cohibere minùs poteſt: adde iuſtam in pleroſque iracundiam, quæ conſilium omne perturbat, ac diſſipat. Quis noſtrûm, qui eum non noſſet, victoriæ

exitum non pertimuit? Quis ſine plurimorum ſanguine expiari tam inueterata odia, atque aboleri poſſe credidit? Quis, vt reprimi hæc ad tempus diſcordiarum incendia quiuiſſent, non manſuras diu eorum ſcintillas, ac prima quaque occaſione in flammam erupturas putauit? Quæ tamen omnia ita HENRICVS noſter clementiæ ac benignitatis ſuæ fonte reſtinxit, vt ne veſtigium quidem vllum in animis ſuis inimicitiæ & acerbitatis reſederit; ſic vtraſque partes tandiu ſtudio ac voluntate diſtractas in vnum ſocietate ac concordia ligauit, vt multo quàm antè arctiùs firmiúſque coaleſcerent. Itaque non occulto poſtmodum iudicio vetus hoſtis eſt ab amico diſcretus: non ex armorum partiúmque coniunctione propenſior in quemquam fuit: eadem in omnes atque æquabilis voluntas, niſi ſi quem officiorum magnitudo, & integritas maior, plus ceteris commendaret. Hac ego vna virtute, non armis, non conſilio confectas res tantas, ac bellicoſiſſimos hoſtes arbitror ſuperatos. Non enim proſternere, aut campo deiicere hoſtem, vincere eſt. Vincitur nemo, niſi qui ſe victum exiſtimat, niſi qui animo, qui iudicio, qui voluntate vincitur, qui inferiorem denique ſe ſentit & agnoſcit altero. Hoc autem non iam manu, ac militari robore, ac ne clade quidem eorum qui expugnantur, aut calamitate extorqueas: cùm iidem illi qui ſuccubuerint caſu aliquo, ac fortunæ inclinatione fractos ſe, non viribus oppreſſos fateantur.

Tum demum victos ſe intelligunt, cùm cuius ſuſtinere impetum non potuerint, eius clementia ac pietate ſubleuantur.

Dedimus iam eum hactenus ſuffragiis veſtris principem, qui fortitudine, prudentia, lenitate turbulentis illis tempeſtatibus eſſet aptiſſimus. Nunc, quòd iſtiuſmodi dotes ſine pietate ac religione imbecillæ, aliquorum etiam iudicio nullæ atque inanes ſunt, pium deinceps ac numinis cultorem dabimus, & patriis ritibus ac religioni addictum. In quo etſi priſtinæ labis atque erroris recordatio fuſcare orationem noſtram, ac decerpere de laudis iſtius magnitudine nonnihil videatur, tamen cùm excuſari facillimè qualiſcumque hæc culpa poteſt, tum neſcio quo pacto ad inſequentis pietatis commendationem pertinet. Cogitate hominem primò ab iis informatoribus imbutum, à quibus pæne cum lacte nutricis, errorem ac falſitatem ſuxiſſet: tum qui alios homines nullos vidiſſet: qui poſtea inter tubarum ſtrepitus & clamorem militum adultus ſeriò ad hæc animum adiicere nunquam potuiſſet. Mitto huiuſce fraudis architectorum, qui tum nuperrimè prodierant, artes, atque illecebras, quàm callidè ſimpliciorum mentibus obreperent; vt ſimulatione virtutis, ac ſpecie quadam pietatis ementitæ innumeros è plebe, ac nonnullos etiam omnium ordinum principes in ſectam ſuam ac factionem pertraherent. Ab his ſi inductus ille, ſi cum multis in communem hanc calamitatem vitio temporum prolapſus eſt,

non tam ob id culpandus, quàm eo nomine vel maximè celebrandus eſt, quòd ab eo ſe cœno, in quo nullo ſuo conſilio, ſed impoſitus ab his atque implicatus hæſerat, vt primùm commodè potuit, certo animi iudicio ac voluntate ſubduxit. Soleo equidem ſæpe eorum inter ſe conditionem conferre, qui in veritatis luce atque Eccleſiæ ſinu procreati integram ſemper fidem ſuam atque inuiolatam præſtiterint, quíque aliquando contractum errorem ſcientes ac prudentes depoſuerint. De quibus ſic ego exiſtimo; illos in ſuſcipienda fide plus felicitatis; alios, laudis ac virtutis aſſecutos. Illi enim ſine ſenſu atque arbitrio, quod fortuitò oblatum eſt, arripiunt: hi cum delectu ac ratione probatum ſibi ac cognitum ſequuntur. Quo fit vt in religione plerumque retinenda firmiores conſtantioréſque illi ſint, hi languidiores, ac minùs ſolliciti: velut qui relictum à maioribus patrimonium acceperunt, non perinde ſunt in eo conſeruando diligentes, atque ij qui rem familiarem opera ſua & induſtria pepererunt. Quamobrem ſit illud primum ætatis crimen, ſit imprudentiæ, ſit erroris: illud verò iam conſilij, ac grauitatis, quòd ab eo ſe detrahi, atque ad Catholicam religionem applicari ſit paſſus. Quod quidem factum quàm admirabile, quàm illuſtre, quàm contra omnium fidem, quàm optatum magis quàm ſperatum acciderit, ne commonere quidem vos neceſſe habeo. Mihi verò naturæ in eo præſtantiam ac bonitatem reputanti, minùs

illud mirum videretur, reuocari ad lucem vnquam illum atque emergere potuiſſe, quàm tandiu hæſiſſe in ea nocte, atque his tenebris, niſi id perditorum quorundam culpa atque improbitas feciſſet. At quàm verè, quàm ſincerè, quàm ex animo, quanto noſtro cum gaudio, quanta totius orbis gratulatione, ad Eccleſiæ concordiam ac ſocietatem adiunctus eſt?

O diem illum (Auditores) iucundiſſimum bonis omnibus, Galliæ optabilem, exteris gentibus ac nationibus admirabilem, pòſteris ſtupendum, Magno illi Henrico ad prædicationem ac gloriam ſempiternum, quo die ad ingentes illas æternáſque victorias, ſui poſtremò glorioſiorem multo atque illuſtriorem victoriam adiecit. Cùm frementibus licèt atque indignè ferentibus iis qui iactatione rerum ac publicis quaſſati imperij miſeriis paſcuntur, ad Romani ſe Pontificis obedientiam traduxit. Quem deinceps ſtudij atque obſeruantiæ curſum, quandiu vixit, omnibus ſibi officiis retinendum putauit, vt præclarè traditam ſibi à maioribus, atque ab ea ſede transfuſam prærogatiuam adoptionis, ac poſſeſſionem nominis tueretur. Audiant hoc hæretici greges, qui ſingulari, ſtultitiâ dicam, an arrogantiâ ac ſcelere, impoſitum Chriſtianorum ceruicibus à Deo iugum abiiciunt: qui conflare, quoad poſſunt, huic nomini inuidiam, atque ineptè imperitéque eleuare auctoritatem ſedis illius ac poteſtatis ſtudent: qui de Regia Maieſtate at-

que amplitudine tantum decedere calumniantur, quantum ritè atque ex inſtituto maiorum, Petri ſucceſſoribus, vicariis Chriſti, regni cælorum ac ſalutis noſtræ arbitris reuerentiæ ac cultus acceſſerit. Audiant hoc, inquam, ac Magni Principis documento ſapiant ſi poſſunt; ſi non poſſunt, videant quàm honeſtè Inferorum portis miniſtros ſe ac ſatellites præbeant. Ad Romani Pontificis pedes ſupplex ecce Henricus, & humilis proſternitur, & proſternitur Princeps, & rerum geſtarum gloria ac tot triumphis & victoriis celeberrimus Princeps. Eant nunc homunciones iſti, & inuictiſſimi Regis ſui factum atque conſilium reprehendant. Audeant contra tantæ Maieſtatis præiudicium frontem ſuam ac ſupercilium opponere.

Sed neſcio quomodo ab optimi & præſtantiſſimi Regis laudibus ad eum ſum locum ac querimoniam impetu quodam orationis abreptus. Tametſi eò illud omne pertinuit, vt inſignior eius cum pietate coniuncta moderatio eſſet, qui id in tanta potentiæ magnitudine alienum à ſe non duxerit, quod priuati atque obſcuri homines facere, per contemptum ac ſuperbiam non ſuſtinent. Age verò quæ in reliquo vitæ inſtituto religionis integritas? Sinite me (Auditores) minora illa ac quotidiana prætermittere. Illum dico diuinis in rebus ſenſum pietatis, illam in auguſtiſſimis ſacrorum ceremoniis frequentandis modeſtiam, vſurpandis reuerentiam, commendandis ardorem at-

que induſtriam; ac ſi qua eius generis alia ſunt, quæ per ſe non maxima, his moribus atque in tanta nobilitate præſertim, in admirationem ac pæne miraculum ceſſerunt. Sunt his maiora multò certioráque indicia pietatis: quæ etſi breuiter perſtringenda hoc loco pro temporis breuitate ſunt, ſileri tamen penitus ſine aliquo flagitio non poſſunt. Neque enim credo ferendum exiſtimetis, ſi de incenſo adeò inflammatóque propagandæ Eccleſiæ atque amplificandæ religionis ardore nihil dixero: ſi inſtauratas templorum ruinas; ſi redditum ciuitatibus priſtini cultus decorem; ſi repreſſam, debilitatámque hæreticorum audaciam, ac Catholicorum fiduciam erectam; ſi conſtitutam vbique veri dogmatis libertatem præteriero. In quibus, ſimul atque reſpirare paululùm ab armis licuit, vniuerſa ſunt illius dicta, facta, cogitata, conſilia defixa. Quoties ad frangendos hæreticorum impetus ac latratus, idoneos homines opportunis in locis diſpoſuit? Quoties cum iiſdem illis priuatis in colloquiis ac ſermonibus mira facilitate ac lenitate congreſſus eſt? Quoties aut ad mentis ſanitatem reducere contendit, aut reductos omni beneuolentiæ ac voluntatis ſignificatione peramanter atque humaniter complexus eſt? Quin etiam vt quàm plurimos ea vtilitate ac tam præclaro beneficio comprehenderet, non dubitauit, eos, quos ad eam rem opportunos atque aptiſſimos iudicaret, à proſcriptione atque exilio retractos, publicam in lucem ac

libertatem aſſerere. Fuit hoc profectò, non religioſi tantùm animi, ſed & inauditæ humanitatis, ac clementiæ; calamitoſis atque afflictis hominibus (mitto quo ſuo merito : euellatur enim ex animis præteritæ acerbitatis atque offenſionis recordatio, quando eſt omnis iampridem teterrimæ famæ ac ſuſpicionis depoſita) perculſis, inquam, ac naufragis tam ſubitò receptum ad gratiæ ſuæ atque amicitiæ portum concedere : horum ſe patronum ac defenſorem profiteri, imponere omnibus in regni ſui prouinciis, commendare exteris nationibus, conciliare Barbaris, per eos in Oriente ac Græcia renouandæ Eccleſiæ ſpem, atque inſtaurandæ religionis patefacere: vt quò nondum armis atque imperio peruenerat, ibi virtutis ſuæ ac pietatis veſtigia collocaret.

Nolite hæc quæſo (Auditores) quæ à me hucvſque de Chriſtianiſſimi Regis laudibus diſputata ſunt, breuitate potiùs dicendi, quàm magnitudine ſingulorum expendere. Ignoſcetis enim vtique, ſi pro tam exiguo orationis ſpatio, tantáque tenuitate mea, vberrimis atque ampliſſimis in præconiis id mihi permittam, vt vnoquoque molliùs celeriúſque defungar. Quare cùm Regem vobis, diuinitus huic quondam imperio datum, præcipuis ornamentis deſcripſerim, in iíſque adumbrandis duntaxat plus etiam aliquanto iuſto tempore conſumpſerim, non grauatè, opinor, cetera à me in præſens omiſſa, relicta vobis eſſe

eſſe patiemini. Quæ ſunt eiuſmodi (Auditores) vt partim leuiora minutioráque, partim his quæ dixi, conſentanea ſint; partim depromi ex veſtra memoria faciliùs, quàm à me attingi delibaríque poſſint. Eritis igitur de iis omnibus hac vna veriſſima teſtificatione contenti : omnes in vno illo regias artes, omnia pacis ac belli ornamenta ſic excelluiſſe, vt cùm ſingularum laude nemini cederet, vniuerſarum gloriâ facilè omnibus præcelleret; tantum verò diſſimillimarum alioqui virtutum concentum ac conſenſionem extitiſſe, vt neque comitate grauitas, nec maieſtate ſimplicitas, nec parſimoniâ liberalitas, nec facilitate iuſtitia læderetur. Iam priuatis in rebus frugalitas, in publicis ſplendor, in factis ac ſermonibus veritas, in fide conſtantia, in quotidiano conuictu ac conſuetudine lepor atque vrbanitas, cuius in moribus principis maior vnquam atque admirabilior eluxit? Nam illam corporis firmitatem, dignitatem oris, frontis maieſtatem, honorem capitis, acrem ac micantem oculorum áciem, illam tot ex curis ac vigiliis potiùs quàm ex ætate accéleratam ac venerandam canitiem idcirco commemorare vereor, ne ſi illius ſpeciem atque imaginem propiùs expreſſero, (quod paulatim fieri in vobis ſentio) nimis acri vos illius ac viua recordatione, acerbiſſimo mœrore moleſtiáque conficiam. Quare adhibebo modum orationi meæ; faciamque quod ſæpe in propinquorum luctu fieri vidimus, vt ab coniugum aut

filiorum aſpectibus mortuorum ſimulacra, aut inſigniora quædam monumenta ac vehementiora ſubtrahantur. Ita ego quam propoſui vobis hactenus optimi regis ac chariſſimi parentis effigiem, remouebo ab oculis veſtris ac ſenſibus, nec de miſerabili ac luctuoſiſſimo illius exitu dicam: quod ſine ingenti dolore atque animi cruciatu dici à me, audiri à vobis non poteſt. Sileatur plaga illa miſerrima, quæ in eius corpore recepta, impoſita Reipublicæ eſt, pæne illa quidem inſanabilis ac mortifera, niſi præſenti rebus noſtris ſubſidio rara illico & inuſitata Dei bonitas affuiſſet. Magna eodem tempore (Auditores) Diuinæ in nos primùm ſeueritatis, mox clementiæ ac bonitatis exempla ætas noſtra protulit: magna ſanè ac neſcio an ex quo hoc regnum conditum eſt, luculentiora & grauiora vnquam contigerint. Credéntne hoc poſteri potuiſſe fieri, vt fortiſſimus ille atque inuictiſſimus HENRICVS, decus orbis terrarum, Chriſtiani nominis deliciæ, potentiſſimi regni propemodum conditor; ille, inquam, vt ſubditorum ſibi parens, ſic finitimorum ac longinquorum hoſtium terror, tot bellis atque victoriis perfunctus, tot ereptus periculis, imperio ac pace longè latéque compoſitis, in medio ſuorum ſtipatu ac ciuium veluti complexu, vnius perditiſſimi atque execrandi hominis nefario ſcelere, in ipſo regni ſinu ac gremio concideret? Credéntne ſecundùm hunc atrociſſimum ac funeſtiſſimum in-

teritum, in tanta improborum copia, tantóque metu omnium ac trepidatione, nihil neque ab externis, neque ab inteſtinis hoſtibus fuiſſe commotum? Puero regi potentiſſimi quondam regis filio, ſub deſertæ afflictæque matris tutela derelicto tam pacata repentè omnia, tam ad nutum voluntatémque ceſſiſſe? Tantum illi vel parentis memoriam, vel ſpem virtutis atque indolis, vel Dei potiùs fauorem, ac præſentiam contuliſſe, vt inclinantem ruentémque molem imperij vnus cum matre, teneris adeò atque imbellibus humeris fulciret? Hæc Diuinæ pietatis prodigia, non omnino tamen deſtitutos nos eſſe; reſpicere illum adhuc res noſtras; adhuc ſpei aliquid reſtare nobis ac præſidij confirmant. Si concidendum nobis penitus fuiſſet; ſi ſcelerum noſtrorum ac criminum pœnas exitio noſtro repetere Diuina iuſtitia vellet, illo profectò tempore feciſſet. Occidere hoc vno calamitatis ictu ac profligari regnum iſtud potuit, ſi perire debuiſſet. Quod quia factum non eſt, bono animo eſſe nos conuenit (Auditores) & hanc infeliciſſimæ cladis moleſtiam innocentis huius, Deóque acceptiſſimi imperij iucundiſſima ſpe ac certiſſima lenire.

Tu ſumme regum ac principum moderator, cuius in manu ac ditione vertuntur omnia: qui perditiſſimis noſtris temporibus, ſingulari parentis virtute, nutu tuo ac potentia ſubueniſti: qui illius opera extremam ab

hoc regno peſtem ac perniciem depuliſti : qui eundem ad malorum noſtrorum remedium ac ſolatium commodatum, poſtremò mœrentibus licèt nobis occulto conſilio ſuſtuliſti : patere hunc nobis heredem regni ac gloriæ, virtute non minùs quàm genere filium, LVDOVICI illius tibi quondam cariſſimi nepotem, nominíſque participem, vtriuſque religione, pietate, clementiâ, virtute, ſucceſſione dignum, quàm diutiſſimè huic imperio florentem atque incolumem præeſſe. Fuerit vnius occaſu miſerrimo tuæ in nos iræ ac iuſtiſſimo furori ſatisfactum. Adiice deinceps æquiſſimos illos atque humanitatis clementiæque pleniſſimos oculos; tenerrimámque ac ſaluti Galliæ fatalem HENRICI ſobolem, non modò ſolitâ illâ, & vſitatâ, quâ ceteros principes foues, curâ ac prouidentiâ proſequere : ſed eo benigniùs ac diligentiùs tuere; quo in tanta ſolitudine atque inopia, tantáque ætatis imbecillitate pæne in vnius tui tutela ac patrocinio conquieſcit.

DE LVDOVICO XIII.

ORATIO SEXTA.

PVBLICÆ apud Athenienſes pecuniæ debitoribus (Viri Ornatiſſimi) nullum tandiu magiſtratum capere ac ne Reipublicæ quidem partem vllam licebat attingere , dum eo nomine diſſoluto debitores eſſe deſiiſſent. Quod ſapientiſſimæ ciuitatis inſtitutum non ad pecuniæ magis quàm ad ceterarum rerum atque officij præſertim debitionem par eſt referri. Quamobrem cùm ob publicum in nos Chriſtianiſſimi Regis Ludouici beneficium, & honorificum de Societate noſtra teſtimonium , publica à nobis gratia laudatióque debeatur , nullum antè publicè docendi munus vſurpare licet, quàm hoc à nobis nomen fuerit officiúmque perſolutum. Quod enim tanto hoc interuallo ſuſcipitur , nec eo præcipuè tempore eſt factum , quo vniuerſæ ſimul ludi huius ſcholæ refloreſcere atque excitari cœperunt : id non vllo noſtro vitio commiſſum , ſed repentino caſu impulſum eſſe meminiſtis. Nam me , cuius eæ dicendi partes erant, grauiſſima tum ægrotatione ſcitis prohibitum fuiſſe, cuius ægrè ſum ad hanc diem ex vi ac longinquitate recreatus. Nunc illud

percommodè factum arbitror, minùs vt quod conſtitueram, perficere tempore illo potuerim: quòd neque inclinantis anni reliquiis tanti argumenti committenda dignitas, & ad illuſtriora ineuntis auſpicia reſeruanda videretur.

Ac profectò ſi attendere diligenter ac de omni inſtitutò noſtro exiſtimare volueritis, ita ſtatuetis (Auditores) genus eſſe orationis nullum, quod vel ad tractandum ex hoc loco amplius, vel hoc clariſſimorum hominum conſeſſu dignius, vel iis ſcholarum initiis aptius excogitari potuerit. Etenim duo ferè ſunt, quæ harum velut partium actori debent eſſe propoſita: vt eàm ſcilicet orationem inſtituat, quæ & ludi huius alumnis excitandis cohortandíſque ſeruiat; & eorundem fructum cum ſcholarum ſplendore ac nonnulla ceterorum voluptate coniungat. Quæ quidem cum ſuſcepta Chriſtianiſſimi prædicatione Principis ambo eſſe video coniuncta. Quid enim primùm ad ſcholarum noſtrarum decus afferri magnificentius poteſt, quàm vt ab eo rege inſtauratas illas ac propemodum conditas appareat, qui ſit omni virtutum laude conſpicuus? Quid ad commouendos noſtrorum animos, & ad præſtantiſſimarum artium ſtudia inflammandos efficacius, quàm vt intelligant tali ſe in tutela patrocinióque verſari: & ad eius ſe informari & adoleſcere principis obſequium, cuius non tam ad honorem ac venerationem expoſita maieſtas, quàm admirationi & imi-

tationi propoſita ſingularis eſſe virtus debeat? Neque verò ambitionis eſt mihi, adulationíſque pertimeſcenda ſuſpicio, quòd vel collaudare omnino principem decreuerim; vel eum ornare præſertim, cuius tenera adhuc ætas, & in pacis quiete otióque nutrita, vti magnarum rerum gerendarum opportunitate caruit, ſic geſtarum exempla deſiderat. Eſt enim illa primùm perpetua atque conſtans officij lex, vti bene de ſe meritis grata viciſſim animi ſignificatio tribuatur, etiam priuatis. Quod ipſum multo erga reges adhibendum magis eſt, quo & illuſtriora horum beneficia ſunt, &, vt pote ab omni ſpe mutui quæſtus aliena, præſtantiore ex ſtudio ac voluntate deriuantur. Deinde eſt illud profectò ridiculum; nullam in principe ſatis excellentem eſſe virtutem, quæ non oculos externa quadam pompa ac ſplendore perſtringat: nec illo dignum aliud genus eſſe laudis arbitrari, quàm quod armorum ſtrepitu, vociferatione militum, buccinarum cantu ac bellico illo tumultu & fragore circunſonet. Sit iſta militum exercituúmque præcipua laus, ac ne regi quidem, ſi id imperij ratio tulerit, repudianda: magis tamen vt oblata neceſſitate temporum, quàm ſtudio quæſita & arceſſita videatur. Alia ſunt regiæ amplitudinis ornamenta, quæ non extrinſecus petita, ſed incluſa in eorum animis ac domeſtica ſunt: neque ex euentu ac fortunæ temeritate pendent, ſed conſilio cuiuſque & voluntate continentur: non eorum de-

niquecum aliis communicanda gloria eſt, ſed illorum tota eſt, & ſine vllo competitore propria.

Sed vt de ceteris hoc loco taceatur; quis eum regem, qui Chriſtianiſſimus appelletur, quíque id vnum propemodum gloriandum ac præ ſe ferendum exiſtimet, aut aliter audeat, aut non eo præſertim laudis genere prædicare, quod ſit cum præclari nominis poteſtate coniunctum? Quid autem aliud Chriſtianiſſimi vox illa declarat? aut quæ eſt tam excellenti vocabulo ſubiecta notio? Opinor eum ſignificat, qui & Chriſtianas omnes in ſe virtutes expreſſas habeat, & earum poſſeſſionem ſingulari erga ſe Chriſti beneuolentia ſit adeptus. Quæ duo cùm in Ludouico XIII. incredibiliter hactenus eluxerint, non vt in illo excitari laudum argumenta poſſint, ſed vt excitata corroborentur, ætas eſt optanda maturior. Ac mihi quidem (Auditores) hic introitus orationis ſuſceptæ prædicationi conuenire maximè videtur, vt quanta in Principem noſtrum Diuini amoris magnitudo ſit, priore locò conſtituatur. Ab hoc enim veluti fonte tot illa maximarum virtutum decora atque inſignia profluxerunt. Simul inſtituta à nobis laudatio eo minùs eſt inuidiæ & obtrectationis habitura, quo quicquid ad honeſtandum Regem noſtrum contulero, id ad illius, vnde iſta deriuata ſunt, honorem gloriámque pertinebit. Sed vt eò quò intendimus viâ ac ratione perueniamus, certa diſputationis totius fundamenta iacienda

ſunt, quibus poſitis reliqua nobis erit explicata ac perfacilis oratio.

Sic igitur ea de re cogitanti mihi veniebat in mentem: omnium rerum, quas quidem infinita Diuinæ ſapientiæ prouidentiæque vis continet, nullam eſſe publicarum rerum moderatoribus ac principibus, quam exquiſitiori illa ſtudio diligentiáque tueatur. Non enim ſubitò ac fortuitò principes exiſtunt: neque temerè tantum in honorem ac celſiſſimam ſedem dignitatis aſcendunt: ac ne id quidem ſola populorum conſenſione arbitrióque conſequuntur. Sed vt magnarum rerum prudentis eſt diu antè conſtituere ac fundare primordia: ſic quos moderandis hominibus Diuina ſapientia præficit, arcanis ac ſempiternis antè ſuffragiis eligere ſolet, electóſque omnibus ad id munus præſidiis & ornamentis inſtruere. Hoc ſi dubium eſſe cuiquam arbitrarer, vehementiúſque probandum, ſacrorum ad id librorum auctoritatibus & exemplis vterer. In quibus quàm id verum ſit, certiſſimis eſt experimentis indiciíſque compertum. Sed nec illud quod per ſeſe expoſitum eſt, oratione perſequor mea: & aliud tamen, quod eadem illa nos docent, præterire nefas eſſe iudico. Non enim populorum præſides modò Deus ac gubernatores inſtituit: verùm etiam quo in ipſum maiori illi pietate & obſequio feruntur, aut in eos vtcunque eſt ille propenſior, eo rectores illis ac principes diligentiùs à ſe excultos ac perpolitos attribuit. Circumſpicite modò ani-

mis (Auditores) orbis terrarum imperia, & quoad longiſſimè poteſtis, præteritam illorum memoriam præſentémque recordamini. Dicam paulò fortaſſis audaciùs, ſed verè tamen dicam; ex tot & tantis, quæ ad hanc diem extitiſſe ſcimus, regnum omnino fuiſſe nullum, cui quidem vehementiùs quàm Chriſtianiſſimo huic Diuina lenitas indulſerit; nullum quod propenſiore cura beneuolentiáque complexa ſit, quod arctioribus ſibi vinculis adſtrinxerit, obligarítque, nullum. Nolo vos illius contemplari modò ſitum ac domicilium. Nec illud exiſtimari iubeo, quàm egregia ibi vbi eſt opportunitate poſitum fuerit. Mitto etiam illud quanti ſit dicere, quòd in Europæ, Chriſtianíque adeo orbis gremio ac ſinu collocatum: quòd immaniſſimarum crudeliſſimarúmque gentium partim incurſioni ac feritati ſit, partim commercio ſubductum. Sed nec illud commemorari admodum volo, quanta non ad vitæ ſolùm neceſſitatem, ſed ad luxum ac delicias vbertate copiíſque circunfluat. Illius denique opes, amplitudo, potentia, rerum geſtarum magnitudo, ac cùm vetus omnis, tum recentior gloria dignitáſque taceatur. Duo ſunt quæ à me proponenda breuiter; nam ad alia feſtinat animus; à vobis porrò diligentiùs animaduertenda cenſeo, ex quibus de ſingulari in hoc regnum Dei fauore coniecturam capere poſſitis. Quænam illa verò ſunt? Diuturnitas primum imperij tanta, quantam nulli hactenus contigiſſe meminimus. Neque enim è Chriſtianis qui-

dem regnis proferri vllum poteſt, quod longiùs perpetuitate quadam ſucceſſionis propagatum fuerit. Poteſt verò ſine incredibili in nos Dei benignitate eſſe factum, vt ad mille ac ducentos ampliùs annos, ex quo iaci illius fundamenta cœperunt, integrum atque incolume permanſerit? Quorum enim ad diuturnitatem maximè inſignis eſt memoria, paucis duntaxat ſæculis præſtante illo ſtatu ac potentia floruerunt. Deinde ſiue domeſtico aliquo vulnere afflicta, ſiue hoſtium incurſione lacerata, ſiue magnitudine ſua collapſa, languentia paulatim ac diſtracta ceciderunt, veteríſque fortunæ, ſic tanquam naufragij, reliquias ad inſequentis longinquitatem temporis traxerunt. Noſtrum verò illud per tot annos non attenuatum opibus, non viribus infractum, non amplitudine diminutum: ſed perpetuis progreſſibus auctum, collatatum ſpatiis, robore eſt ac potentia prouectum: vt quantum velut cuidam illius iuuentuti longinquitas detraxit, tantum addiderit ſplendori. Alterum Diuini illius amoris indicium eſt, quòd cùm iactatum ſæpius, & atrociſſimis tempeſtatibus pæne obrutum fuerit; cúmque illud partim externi hoſtes aſſiduè vexarint, partim domeſtici tumultus exercuerint, victis ac ſuperatis omnibus non ſolùm emerſerit atque erexerit ſeſe, ſed priſtinum decus noua ſemper acceſſione cumularit. Non eſt meum (Auditores) occultorum Dei conſiliorum curioſiùs inueſtigare rationem. Verumtamen ſi quâ vti coniecturâ

licet, vna mihi præ ceteris eximium illum Dei fauorem prouocaſſe cauſa videtur, Chriſtianæ pietatis vehemens & incenſus ardor, &, quod ei proximum eſt, ſummus in Eccleſiam, Eccleſiæque principem, hoc eſt, communem omnium parentem, honor & obſeruantia. Venit enim mihi in mentem, quod in veteri lege præmium nominatim iis oſtenditur, qui parentibus ſuis honorem ac reuerentiam adhibuerint, patêre vulgi iudicio & opinione latiùs: non enim vnum illud parentum genus intelligi, à quo corporum vitam atque originem traximus; ſed vel eos maximè, à quibus denuo ſati recreatíque fuimus, quorúmque cæleſtem ad vitam documentis inſtitutíſque formamur. His igitur qui officium ac cultum diligenter ſanctéque tribuerint, eodem illos præmio legis ac mercede par eſt affici, vt in terris longiore æuo perfruantur.

Nimis multa verba feciſſe videor, (Auditores) nec dum tamen ea quæ Chriſtianiſſimi Regis ac ſuſceptæ orationis propria ſunt attigiſſe. Quanquam eſt id quod dixi cum ſumma illius laude implicatum & connexum. Nam ſi verè iſtud antè collectum eſt; quo ſunt Diuinæ maieſtati imperia quæque cariora, eo acriùs illam in ornandos eorum rectores, ac velut fingendos incumbere: cùm ex omnibus primas huic regno gratiæ apud Deum deferendas eſſe ſtatuerimus, neceſſe eſt id in principis ornamentum ac dignitatem redundet. Quare omnibus illum affluere animi bonis ac virtutibus

conſequens eſt , ſine quibus tanti muneris ſuſtineri moles, & adminiſtrari nequeat. Sentio equidem quid tacitis veſtris cogitationibus poſſit occurrere. Nimis enim infinitum eſſe, quod à me dicitur, ex eóque id, quod falſiſſimum eſt, conſequi, parem atque eandem eſſe principum omnium conditionem oportere, vt eorum animus præſtantiſſimis imperij artibus ac virtutum laude decoretur. Atqui pleroſque conſtat non optimos, quoſdam etiam flagitioſiſſimos ac corruptiſſimos fuiſſe. Verùm illud prudentiam veſtram latere non arbitror: ſic à Deo gratis quodammodo perpoliri principem, vt qualem initio animi ſtatum adeptus fuerit, non ſine priuato labore, induſtria vigilantiáque retineat. Si honeſtè, ſi grauiter, ſi in omni vita officióque conſtanter ſe geſſerit, hæc quæ in illo inſita eſt animi virtus hærebit, imò etiam hominum ad fructum effloreſcet, commendationémque, latiùs. Sin aliter ac debet vitam ſuam & mores inſtituerit, tum ille regiarum virtutum decor & fulgor vitiorum ſordibus ac maculis obſoleſcet. Hoc igitur præclarum, & ad Regis noſtri prædicationem longè vberrimum eſt, quòd cùm in eâdem vitæ hactenus integritate innocentiáque perſtiterit, nec vllum cæleſtibus donis vllius ex contagione labis dedecus allini ſit paſſus, luculentiſſimum illud virtutum florentiſſimúmque patrimonium nulla ne leuiſſima quidem ex parte minuerit.

Quarum omnium expreſſas in Ludouico

rege notas,& quaſi veſtigia perſequi, etſi eſt nobis pro veſtro erga illum amore non moleſtum, longius tamen eſt, quàm vt tam anguſtis orationis hodiernæ ſpatiis poſſit includi. Itaque paucas ex omnibus libari neceſſe eſt, quæ ſint regiæ amplitudinis ac maieſtatis propriæ, quarúmque velut extet in turba nitor & emineat, vt ex iis ceterarum coniecturam & exiſtimationem informare poſſitis. Harum porrò prima hæc ordine ac commemoratione debet eſſe, quæ eſt dignitate princeps; pietas aduerſus Deum ac religio: per quam factum eſſe paulò antè monuimus, vt hoc imperium incredibili apud Deum gratia, diuturnitate, conſtantia, amplitudine, gloria, reliquis omnibus antecelleret. Hæc itaque quàm ardens in Ludouico Rege, quàm ſupra ætatis propemodum captum vehemens ad hunc diem ac fortis extiterit, ex hoc vno argumento cognoſcite. Soleo equidem ſæpe mirari, ídque ſumma cum voluptate meminiſſe, quod ab idoneis auctoribus compertum, ac crebris vſurpatum ſermonibus accepimus: nihil tam penitus cuiuſquam animo inſitum & infixum eſſe, quàm Chriſtianiſſimo Regi Ludouico lethiferæ culpæ, & vehementioris apud Deum offenſionis odium, quæ mutuam inter nos, & illum, amicitiam non paulatim diſſuit, ſed repentè præcîdit. Hanc illum capitalem animi peſtem ac perniciem arbitrari, hanc in omni vita ac conſuetudine vereri, huius adeo contagionem pertimeſcere, vt non conſcientiam modò, ac leuiſſi-

mam ſuſpicionem, ſed mentionem inſuper ac memoriam exhorreſcat. Hinc ſolemnis illa Regi prudentiæque plena cautio, quam de beneficio aliquo gratiáque largienda interpellatus adhibere ſolet. Tum enim ne qua ſit delicti latebra, aut erroris receſſus, de conſcientia diligenter excipere ſolet: eáque ſe quod rogatur lege tribuere profitetur, ne quid in eo ſit, quod à recta conſcientia & officij religione diſſentiat. Egregia Chriſtianiſſimóque principe, ac ſanctiſſimi illius Ludouici ſucceſſore digna vox.

Quam quidem non in auribus modò, ſed & intimis ſenſibus ac pectoribus veſtris hærere defigíque cupio. Veſtris autem? Vtinam (Auditores) quæ hîc apud vos diſputo in communi Chriſtianorum omnium conuentu conciliόque proponerem. Non enim vereor, ne quid vel humani generis conſeſſu quodam dignius, vel ad omnium imitationem fructúmque præſtantius, vel ad principis noſtri præconium illuſtrius poſſit afferri. Da mihi priuatum hominem, non è vulgari bonorum, vt ita dicam, plebe, qui communi quadam ac mediocri ſunt probitate contenti; ſed vel eorum quempiam producito, qui acrioribus ad virtutem ſtimulis excitati, religionis ſtudium, quod nomine ipſo profitentur, vitæ quoque integritate ſuſtineant. Quid eſt quod iſtorum aliquis tot illis in virtutem inſumendis laboribus nauare atque efficere ſtuduerit? Quæ eſt, inquam, ſpecies honeſtatis eximia, quam intuens, & in

eam intentus ad illius in ſe ſimilitudinem exprimendam animum operámque direxerit? Perfectum denique illud & excellens requiro, quod vbi adeptus fuerit, iam ſe ad ſummum perueniſſe confidat. Niſi fallor, iſtud eſt, vt ita ſe affectum animatúmque ſentiat, Deo vt in omnibus placere ſtudeat, ac cùm nihil illius gratiæ amicitiæque præferendum exiſtimet: tum quicquid cum eius offenſione coniunctum eſt ab eo ſine vlla cuiuſquam rei exceptione refugiat. Quam quidem alti & exaggerati animi conſtantiam vnico timoris Dei nomine Scriptura complectitur, nec vllum ſingulis propemodum paginis commendandi ac collaudandi finem facit. Iure id quidem ac meritò. Hæc enim cæleſtium donorum conciliatrix, hæc ceterarum virtutum procreatrix eſt, expultríxque vitiorum. Hæc Diuinæ illius ſtructuræ, quam in pectoribus noſtris excitare ſanctiſſimus ille ſpiritus ſolet, velut ſedes ac fundamentum ſubſternitur. Quanquam eo non ſum vſus verbo quo decebat (Auditores.) Non enim inchoati iam fundamentum operis eſt, ſed abſoluti conſummatíque perfectio: nec vna ædificij regione circunſcripta, ſed per omnes porrecta diffusáque partes arctiſſimo eas nexu deuinctas ac colligatas continet. Nam quòd *initium ſapientiæ*, hoc eſt, Chriſtianæ vitæ, non vno in loco timor ille Dei dicitur, ex eo eſt apud Hebræos vocabulo *initij* vox expreſſa, quod non inchoatum aliquid & adumbratum, ſed in omni genere primarium & antecellens ſignificat, atque

que eiuſmodi, vt ad reliquorum ſpecimen præbendum meritò poſſit offerri. Quod igitur probitatis & honeſtatis caput eſt; quod omnes Chriſtiani officij pietatíſque partes in ſe continet; ad quod magni ac præſtantes homines tanquam ad vltimum laborum ſuorum ac quotidianæ præmium exercitationis, aſpirant, hoc ipſum Principi LVDOVICO non tam humano labore atque induſtria partum, quàm diuinitus oblatum & inſitum ab ipſa propè pueritia cernimus. Vt quod in veteranis abſolutum ac perfectum habetur, in eo regij tirocinij velut incunabula ac rudimenta ponantur. Fuit illa tua quondam LVDOVICE, fuit (nonum illum ac ſanctiſſimum appello) iiſdémque primordiis excitata pietas. Quem & religioſiſſimorum hominum diſciplina, & lectiſſimæ parentis inſtitutione ſic imbutum accepimus, vt mortiferi criminis vel tenuiſſimum afflatum omnibus vitæ huius acerbitatibus intolerabiliorem crederes. Tu id quod à matre ſæpius audieras, in omni vſurpare colloquio ſolebas: quouis te genere mortis extingui malle, quàm integritati tuæ grauioris delicti maculas aſpergere. Sapientiſſimum proaui conſilium ac dictum ſobolis virtus longo interuallo renouauit.

Sed nihil agimus (Auditores) niſi id vnà patefacimus, quibus artibus exceltus, & quaſi nutrimentis corroboratus Regis animus tantam pietatis maturitatem celeriter ſit adeptus. Hæc eadem nimirum illa præſidia ſunt, quo-

rum vſu ac conſuetudine ille ipſe nixus eſſe traditur, quo cum non propinquitate magis generis, ac nominis communione noſter, quàm virtutis illius ac propoſiti æmulatione coniunctus eſt. Primùm orandi numinis, ac cæleſtium rerum tractandarum conſuetudo certis repetita temporibus: vt non antè matutinis ſalutatoribus copiam ſui faciat, quàm legitimam Deo precationum velut penſionem exſoluerit. Tum eadem nocturnam ante quietem colligendi ſui obſecrandíque ſedulitas. Quo etiam tempore (mirum id fortaſſis erit, & incredibile quod dicam) hoc, inquam, tempore occultas pectoris latebras excutiens, diligenter in vitam ſuam ac diurnos actus inquirit; quid egerit, ac quemadmodum ſeſe geſſerit: ecqua in re Diuinam maieſtatem imprudens læſerit: num verbo factóve vllo, ac vel leuiſſima cogitatione titubarit. Quod per ſeſe rarum & exquiſitum, tum hac ætate ac moribus, qui ad nimiam licentiam incubuerunt, pæne inuſitatum, quanti in principe eodémque ſit occupatiſſimo faciendum, veſtræ (viri ornatiſſimi) prudentiæ ac iudicio relinquo. Verùm nihil ad augendam ac firmandam virtutis indolem, ſacrorum myſteriorum eſt crebritate frequentius: quibus partim vſurpandis, partim venerandis, ac præſentia ſua celebrandis, Regis noſtri pietas elucеſcit. Dabo vtriuſque argumenta non vulgaria. Diem eſſe ſcitote nullum, quo die auguſtiſſimum illud, & immortale ſacrificium offerri præſente ſe non iubeat, quod cùm

ad humani ſalutem generis, tum cruenti alterius repræſentandam memoriam diuinitus eſt inſtitutum. Recens eſt, & ad dictorum fidem non minùs efficax, quàm auditu iucundum quod referam. Cùm in amœniſſimum ſancti Germani ſeceſſum ruſticandi gratiâ ſe contuliſſet, fortè accidit vt bene manè venatum profectus de multa die domum reuerteretur. Ibi paratis iam omnibus, inſtratíſque menſis, & illatis ferculis, vocatus ad prandium, recordatus eſt eo die ſacrificanti ſe ſacerdoti operam non dediſſe. Accerſiri itaque ſine mora quempiam iubet. Neque enim adduci poſſe, antè vt guſtaret aliquid, quàm ſuſceptæ religioni conſuetudiníque ſeruiſſet. Erat difficile reperire aliquem, qui ieiunus ad eam horam perſtitiſſet. Deinde quòd & fatigatus ex venatione redierat, & iniectâ morâ corruptum iri prandium videbatur, cùm profeſtus alioqui dies eſſet, poſſe ſine ſcelere prætermitti plerique omnes admonebant. Vicit tamen Principis perſeuerantia: ac non ſine Diuino nutu ægrè tandem oblatus eſt ſacerdos aliquis, qui cibum fortè illo die nullum attigerat.

Parum eſt ſacroſanctis myſteriis adeundis quotidianam nauare operam, niſi par ei diligentiæ cùm interior animi tum exterior corporis cultus accedat. Doleo equidem (Auditores) vehementérque commoueor, (quod idem & vobis euenire ſuſpicor) quoties Chriſtianorum in obeundis illis inertiſſimum faſti-

dium ac ſegnitiem cogito. Inueterauit enim iam peſſimus ille deprauatiſſimúſque mos, vt quo quiſque nobilitate generis, aut opibus ac dignitate præſtat, eo negligentiùs iis ac faſtidioſiùs interſit. O miſerum & acerbum ſpectaculum, ac non modò hominibus, ſed & templorum tectis ipſis ac parietibus luctuoſum! Non illud iam conqueror, etſi eſt magnopere dolendum, pleroſque ſanctiſſimis illis ædibus, ac ſacrorum ceremoniis minùs ſe frequentes & aſſiduos præbere, eóque tempore libentiùs in luſtris, ac popinarum nidore, & fumo deliteſcere, aut turpiſſimorum ludorum ſpectacula celebrare. Ferendum illud eſt, Auditores: imò verò (temporum iniuriam atque Eccleſiæ vulnus aſpicite) optandum etiam videtur, nunquam ab illis religioſiſſimarum ædium limina contingi, potiùs quàm tanta illorum impudentia, dedecore ac turpitudine pollui. Quis enim tolerandum iſtud exiſtimet, quod peſſimo paſſim exemplo fieri cernimus, vt in templis ſic tanquam in foro ac plateis ambulare homines audeant, ac de negotiis ſuis domeſticíſque rebus conferre ſermones? ridere? iocari? inconditos clamores & cachinnos attollere? Illud verò quo mœrore animi? qua vi vocis & contentione? quo gemitu lacrymíſque deplorandum? Intra Eccleſiæ ſepta, quo tempore gratiſſima illa Patri victima, dæmonibus terribilis, humano generi ſalutaris, viuis mortuíſque cum Deo conciliandis offertur, laſciuire impudentiſſimos homunciones,

ac velut in diuerſorio aliquo libidinum fœdiſſimis de rebus inter ſe colloqui? ad mulierum formas curioſos ac petulantes oculos adiicere, conditiones legere, ad flagitioſiſſimarum voluptatum nundinationes & mercatus locum illum tempúſque condicere? Nam leniora illa, & quotidiana prætereo, quæ ne in delictis quidem numerantur: dum ad aram ſacerdos aſſiſtit, cincinnatos illos & barbatulos ſedentes & oſcitantes ſcabere caput, perfricare frontem, comam barbámque mulcere, contorquere huc & illuc oculos, agitare ceruicem, garrire in alterius aurem, & inſuſurrare nugarum aliquid: tum vbi victima cæleſtis attollitur, vno in terram genu poſito, altero collineantis ad ſcopum inſtar extento, vitæ ac mortis arbitro oris ſui ac frontis duritiem obiicere.

Procul eſt à LVDOVICO Rege, procul illud inertiæ ac pæne ſacrilegij dedecus. Nihil ipſo, quandiu ſacris operatus eſt, compoſitius ac modeſtius. Quorum omne tempus vtroque in terram genu defixo, & intentis ad aram oculis, ſtatis ac deſcriptis precationum vicibus tranſmittit. Par eſt exemplo principis comitatus pudor ac modeſtia. Circunſtant ſilentio omnes, neque cuiquam tumultuari illic, & ſermonibus obſtrepere licet. Quòd ſi quis procacior paulò vel diſſolutior negligentiórve fuerit, is ſubitò principis aſpectu, vel voce etiam & imperio coërcetur. Atque hæc eſt in adeundis præſentiáque celebrandis myſteriis LVDO-

VICI aſſiduitas ac reuerentia. Iiſdem porro in vſurpandis, quanto minor eſt neceſſariò quàm in obeundis frequentia, tanto eſt veneratio & cultus inſignior. Ac cùm duo præcipuè ſacramenta ſint, quibus Chriſtianæ vitæ ſubſidia continentur; quorum alterum ad eleuandas vitiorum ſordes, ac reconciliandos cum Deo homines, valet: in altero, angelorum cibo alimentóque reficimur: primum illud tam ſæpe Ludouicus adhibet, quàm eiuſdem ordinis ac dignitatis fortaſſe nemo. Nam tertia quaque, vt minimum, hebdomade delictorum ſe confeſſione apud ſacerdotem expiat. Poſteriore toties vtitur, quoties eorum, quorum ſe arbitrio permiſit, voluntas atque auctoritas decreuerit. Tum verò effert illa ſeſe caſtiſſimæ diſciplina pietatis, ac religionis ardor efferueſcit, cùm, vt ille quondam generis auctor ſanctiſſimus, non tam fidei perſuaſione præſentem, & ad ſeſe venientem Dominum intelligere, quàm oculis ipſis intueri, ac contrectare ſenſibus videtur. Vidi ego, vidi nuper, Auditores, expreſſa factis ſanctimoniæ huius, & inflammatæ in Deum caritatis, indicia: cùm in die S. Ludouico ſacra, eiuſdémque in templo, ſempiterni Regis ad conuiuium ac ſuauiſſimas illas epulas accederet. Qui tum illius animi ſenſus extiterunt! quàm ardentes Diuini amoris impetus! vt colliquefacti pectoris impetus in vultum oculóſque redundabat!

Sed perbellè ſanè cecidit, Auditores, vt in clariſſimum illud pietatis regiæ monimentum,

quod eodem illo die ſempiternam ad memoriam defixum eſt, ſponte ſermo noſter incurreret. Tametſi doleo nimis anguſtum mihi tempus ad eam rem prædicandam eſſe datum, quæ non partem aliquam orationis auferre, ſed vniuerſam ac præcipuam occupare debuerat. Etenim quæ dicendi vis & vbertas par illi Chriſtianiſſimi principis eſſe poteſt, quid dicam Auditores? religioni erga Deum? an in genus ſuum pietati? an auctoritati apud ſummos pontifices & gratiæ? an in ſubiectos ſibi prouidentiæ? an magnificentiæ apud exteros? an ad infinitam poſteritatem gloriæ atque claritati? Quæ quidem hoc in vno facto ſimul vniuerſa cernuntur. Nam Sanctis ac Dei amicis honorem impertiri, religionis eſt. Maiorum ſuorum ſplendori gloriæque ſtudere, pietatis. Chriſtianos omnes vnius rogatu nouis eſſe à Pontifice cerimoniis obſtrictos, auctoritatis. Regis ſanctiſſimi patrocinium recentibus officiis huic imperio arctiùs adſtringere, prouidentiæ. Magnificentiæ verò poſtremò eſt ac gloriæ, ſuum peræquè ac Francici nominis decus omnium in eo facinore virtutum laude cumulare. Credo equidem, Auditores, idem veſtrum fuiſſe, quod & ſuperioribus annis facere conſueueram, de illius diei celebritate iudicium. Neque enim mediocriter angebar animo, cùm id cernerem: Sancti LVDOVICI nomen ac memoriam, non dicam præſtantiſſimi viri, ac poſt conditum hoc imperium longè præclariſſimi principis: non dicam optimè de

Eccleſia Chriſtianíſque omnibus meriti. Cuius viri ac Regis omittam. Illud dicam, nunquam mihi tolerabile eſſe viſum, ſanctiſſimi Francorum regis non apud exteras nationes, non apud imperij iſtius æmulos, ſed apud ſuæ, apud Francos, inquam, Francorum regis memoriam in tanta obſcuritate verſari. Sed ſuperiorum temporum cunctationem an incuriam tuâ LVDOVICE Rex, diligentiâ ſuſtuliſti. Tu conditori generis tui, quod ad ſplendorem & amplitudinem deerat, longo interuallo reddidiſti. Tu ei, à quo continuatione ſtirpis ac ſerie vitam & honorem acceperas, quandam apud homines vitam cum honore tribuiſti. In quo vnà & illius gloriam auxiſti, & amplificaſti tuam. Audiet hoc nimirum terrarum orbis, & ad quas nationes ac prouincias auguſtiſſimi illius diei religio, ac S. LVDOVICI cultus peruaſerit, eaſdem LVDOVICI XIII. commendatio ac fama peragrabit.

Iam verò quantum dedicandæ natalis illius celebritati operæ ac magnificentiæ contulerit, dicerem ſi eſſet obſcurum. Illud verò ſanè magnopere collaudandum eſt, quòd ſolemnem eius feſti ſanctimoniam non hilaritate ſolùm publica, nec ſpectaculorum apparatu atque pompa, ſed inuſitata religione, ac flagrantiſſimæ pietatis officiis conſecrauit. Totum enim illum in templo ferè diem decantandis Dei laudibus, ac ſacrorum celebrandis cerimoniis tranſegit. Et, quod nunquam ad eum diem contigiſſe dicitur, ſacroſanctum Chriſti cor-

pus Regina cum coniuge de eadem manu ſacerdotis accepit. Poſtremò vt ad Dei caritatem beneficentiam erga homines præſertímque calamitoſos adiungeret, centum eadem die lectos S. Ludouici noſocomio fouendis ægris ac recreandis attribuit.

Nimiùm iamdiu nos vnius in Rege pietatis admiratio detinet (Auditores) & infinita eius generis neceſſariò prætermittenda ſunt, vt ad ceterarum commemorationem ſpatij aliquid ſuperſit. Ac fateor me initiò, cùm tam vberem hac in vna virtute ſegetem orationis meæ proſpicerem, dubitaſſe admodum, num in ea ſola perſequenda totum dicendi tempus collocarem. Quod certis de cauſis faciendum omnino non putaui, vt ad hoc vnum laudationis genus adhæreſcerem: id hactenus ſequar vt harum nonnullas breuiter ſummatímque perſtringam. Nam & patientiæ in me audiendo veſtræ habenda mihi ratio eſt, (Auditores) & in vna pietatis laude ceteras comprehenſas aut ab ea profectas virtutes intelligimus. Sed vna præ ceteris religionis ſocia eſt & aſſectatrix iuſtitia; cuius tam latè vis appellatióque pertinet, vt eius ambitu illa etiam ipſa, cuius eſt comes, pietas ſepta teneatur. Eſt enim quædam homines inter ac Deum ſocietas & conuentio. Nec homini quiſquam quod ſuum eſt conſtanter tribuere poteſt, qui non antè tribuerit Deo. Ita fit, vt quo quiſque in Dei venerationem eſt amorémque propenſior, eo ſit iuſtitiæ amore deſiderióque flagrantior. Quo

minùs dubitandum nobis eſt, cur vnam præ ceteris LVDOVICVS amplexus ſit adamarítque iuſtitiam; cur eam adoptarit præcipuè, ab eáque titulum ſibi ac cognomentum aſciuerit. Ita enim percrebuit: cùm alij aliâ imperatores ac principes appellatione gaudeant, ac magni, pij, felices, parentum aut fratrum amatores nominari cupiant, LVDOVICVM, quod ante ipſum obtinuerit nemo, concupierint verò fortaſſe pauci, Iuſtum ſe & haberi & appellari vehementer optare. Eſt hæc nimirum prima pietatis in LVDOVICO ſoboles, eáque non in ſpe ſolùm & expectatione poſita, ſed inſita in illius animo radices egit altiores. Etenim hoc diſciplinas inter artéſque, ac virtutes intereſt; quòd illarum ſi quis amorem ac deſiderium conceperit, non idcirco compos eſt factus: virtutes ex animo ac conſtanter appetere nemo poteſt, quin earum iam in poſſeſſionem pedem poſuerit. Felicem te mea Gallia! felicem! noſtráque hæc (Viri Clariſſimi) fortunata tempora, non præſentium modò fructu, ſed oſtenſione futurorum! Non omnino tamen nos ſolita Dei cura benignitáſque deſtituit, cùm talem Principi noſtro mentem ac voluntatem immiſit, vt in colenda ſeruandáque iuſtitia ceteris omnibus optaret excellere: ſéque Iuſtum & eſſe & nominari cupere, in omni colloquio ac ſermone præferret. Magnum hoc ab Rege Francorum ſanctiſſimæ gubernationis omnibúſque numeris abſolutæ pignus oblatum. Nec dubitari debet quin qui

iuſtum ſe in omni vita præbere conſtituerit, eámque laudem affectarit, idem & temperanter & moderatè ac benignè; & prudenter fortitérque ſeſe gerat, omniáque omnium officia virtutum explicare conetur.

Porum illum Indiæ regem captum ab Alexandro, interrogatúmque memorant, quemadmodum accipi ſe, haberíque vellet: tum illum, nihil niſi, regaliter, reſpondiſſe. Inſtante rege, ecqua ſe alia ratione tractari cuperet, iterum, regaliter, dixiſſe. Idem tertiò cùm eſſet rogatus, hoc vnum reſpondiſſe, regaliter: hac enim vnâ omnia voce comprehendi. Ergo idem illud in adminiſtrandis imperiis ſentire de iuſtitia nos oportet: vt ſi quis quemadmodum gerenda illa ſint exquirat, nihil huic aliud niſi, iuſtè, reſpondeatur. Fundamentum porrò iuſtitiæ illud ac caput eſt, vt in tuendis legibus grauitas ac conſtantia; in coërcendis etiam improbis ſeueritas adhibeatur: ſic vt nullus contra ius & æquitatem ambitioni ſit ac potentiæ locus, pecuniæque nullus; & atrocitatis interim abſit ac crudelitatis opinio. Quid horum non in Rege ſummum eſt & excellens? in quo cùm mirifica ſit ad clementiam ac lenitatem indoles; vt vel ex aſpectu ipſo & oculorum coniectu ſuauiſſimus quidam odor humanitatis affletur; eſt idem tamen in ſancienda legum auctoritate ac retinendo iure certus ac conſtans: contra quod nihil aut obtineri per gratiam, aut per metum expugnari, aut impetrari precibus, aut vtilitatis aliqua

ſpe remitti ac condonari patiatur. Quo in genere magna nobis exemplorum copia ſuppetit, (Auditores) quæ nec eſſe vobis arbitror ignota. Sunt enim illuſtria, atque ad omnium famam approbationémque manarunt. Quare ita ferè communi hominum iudicio conuenit, id quod principem aliquando virum intellexiſſe didicimus: fuiſſe ex omni regum memoria neminem, qui tantopere magiſtratuum ac iudicum poteſtati & auctoritati deferret, quíque minus ab eorum decretis ac ſententiis diſcederet.

Hic quem modò dixi teſtatum id eſſe atque intellexiſſe principem, cuidam ex amicorum cohorte, qui aduerſus Regis edicta ad certamen ſingulare condixerat; & impunitati ſuæ cauere antè cupiebat, præſidium ſuum tentanti implorantíque reſpondit: Videret quid ageret: ſibi enim certum eſſe, ne ſi frater quidem ſuus eſſet, verbum ea de re vllum apud Regem facere, à quo ſciret nihil in huiuſmodi flagitiis impetrari poſſe. Et quoniam de certaminum nefario illo & execrando genere meminimus, hic me locus admonet, vt ad illud veniam iuſtitiæ ſingularis exemplum, quod in illa reſtinguenda imperij peſte, Regis noſtri diligentia conſtituit. De qua quidem tam importuna, tam inueterata ac domeſtica labe quid dicam (Auditores) aut quemadmodum appellem neſcio. Furorem & inſaniam nominem? leue illud eſt. An belluæ in hominis figura immanitatem & rabiem? ne iſtud quidem ſufficit. An

florentiſſimi huius regni, adeóque Chriſtiani nominis fœdiſſimam maculam; imò exitium, flammam, atque perniciem? Quàm vultis atrocia ac deteſtanda nomina concipite: vincit omnia ſceleris horrendi grauitas, ac ne cogitatione quidem capi, nedum oratione ſatis exprimi explicaríque poteſt. Sæpe illud mihi cogitandum occurrit, (Auditores) regnorum occaſus atque interitus inuſitatas quaſdam calamitates præcurrere ac denunciare ſolere. Quare cùm nullam capitaliorem huic regno peſtem accidiſſe omnium teſte memoriâ conſtet, ideo inflictam illam interpretabar ac præmiſſam, vt extremam Francorum imperio vaſtitatem exitiúmque portenderet. Hoc igitur tam infinitum malum cùm ſerperet in dies, ac manaret latiùs: cùm turpiſſimi gladiatores, imò graſſatores ac ſicarij mutuis ſe cædibus ac parricidiis conficerent: cùm teterrimæ carnificinæ vbique veſtigia ac monimenta fixiſſent: cùm principis aula ipſa præſertim ac comitatus quolibet latronum receſſu ac latebris eſſet infeſtior: cùm nemo vitam ac dignitatem tueri niſi per ſcelus flagitiúmque poſſet; duorum eſt principum patris ac filij virtus excitata Diuinitus, quæ tot incommoda ſaluberrimis edictis ac legum diſciplina compeſceret. Quorum alter dum ad clementiæ laudem totus incumbit, ſeueritatem, quam mali vis ac vehementia flagitabat, aliquantum remiſit. Ita mitigatâ illius violentiâ non extinctâ, ſublati morbi gloriam ſucceſſori filio, hoc eſt Iuſto principi,

iuſtitiæ decus & officium reſeruauit. Qui ſimul atque imperium attigit, non id ſolùm, cuius in patre exemplum habebat, fœdiſſimum illud latrocinium nouis edictis prohibuit: ſed quod plurimum intererat, latas ab vtroque leges acrioribus ſeueritatis præſidiis muniendas putauit. Neque verò aut reprehendendus propterea pater, aut non omni laude digniſſimus eſt filius. Sed dum bonitatis alter, vt dixi, famam perſequitur, alter iuſtitiæ: ille pœnarum aſperitatem miſericordiâ leniit; hic legum poteſtate ſuam ipſius auctoritatem aſtrinxit; vterque diſſimili in re ſimilem propemodum gloriam eſt conſequutus. Sed prudentius tamen filij, præſenti certè rerum ſtatui opportunius inſtitutum. Per quod breui eſſe tempore factum: videmus, nullum vt hodie tanti mali veſtigium ſuperſit. Eadem & aliis inſtaurandis legibus LVDOVICI virtus enituit: ac præſertim cùm ad Diuini numinis, ac ſanctorum contumeliam effuſam linguæ petulantiam acutiore edictorum ſuorum ſtilo confixit. Egregia laus, nec iuſtitiæ magis, quàm eius, quam paulò antè commendauimus, pietatis propria. De qua tamen, quod inuitus equidem facio, minimè hoc loco plura dicentur, vt ad eam veniamus aliquando prudentiæ dotem, quæ abeſſe à ſummo abſolutóque principe nihilo magis poteſt, quàm ſolis ab cælo fulgor; aut ab ea naui, quæ feliciter nauigatura ſit, periti ac ſapientis gubernatoris induſtria.

Eam porrò quam in magno parente rerum

vſus, ac diuina vis ingenij & ſolertia maiorem opinione omnium fecerat, erit fortaſſe qui in id ætatis filio ſperari magis oportere, quàm collaudari poſſe ſuſpicetur. Non ita eſt, Auditores: tantúmque abeſt vt de eiuſmodi præconio quicquam nobis tenera decerpat ætas; nulla vt ſit in LVDOVICI vita atque factis prædicandi ſeges vberior. Ac ne longum ſit ſingulis ex dictis atque factis argumenta repetere; quod eſt indiciorum certiſſimum genus, ex euentu ipſo rerum exitúque ponderate. Proponite pauliſper animis veſtris ſuperioris imaginem temporis: niſi id optandum potiùs, ea vt obliteretur penitus atque ex ſempiterna hominum memoria deleatur. Sed occurrat tamen interim vobis luctuoſa illa pauciſſimos ante annos regni facies; Galliarum illa turbulentiſſima maximáque tempeſtas, repentinum illud & improuiſum incendium, quo vniuerſæ pæne momento imperij prouinciæ conflagrarunt. Bellum illud ciuile dico; de quo ita ſapientiſſimos quoſque ſentire video: nullum tam breui temporis ſpatio tam periculoſum, támque horribile eſſe conflatum. Quis in perturbatiſſima hac republica vel non deſperaret omninò, vel ſi de recuperanda huius ſalute non diffideret, non id aliquo ſaltem naufragio crederet iacturáque redimendum? Quis inquam fœdiſſimam hanc flammam reſtingui putaret omninò poſſe: vel ſine plurimorum ſanguine ac cruore reſtingui? Quoties in medio rerum turbine prudentiſſimos illos viros atque

intelligentiſſimos audiui dicentes : occidiſſe Gallicanam rem, & ad vltimum diſcrimen eſſe perductam? Quem enim virum inueniri, aut excitari poſſe repentè tanta felicitate ac potentia, qui præcipitantem ac ruentem rempublicam ceruice ſua ſuſtineret? Quem tum omnes reperiri poſſe diffidebant, is eſt repertus denique & immortali nobis Dei beneficio conceſſus. Qui quantum huic regno lucis ac ſalutis attulerit, æſtimare ſi vultis, conferte cum priore illa, præſentem hodiernámque reipublicæ fortunam : cum illis tempeſtatum fluctibus, ſummam hanc tranquillitatem pacis & otij : cum illis ciuilium armorum motibus, communem omnium conſenſionem ac concordiam : cum afflicto perditóque illo rerum ſtatu, integrum hunc, & opibus, commodis, honeſtarum artium ſtudiis, libertate gloriáque florentem. Extinctum illo tempore Francorum regnum, hoc verò conditum ac conſtitutum dicetis.

Achillem Homerus prodidit, qua die Græcorum imperatori reconciliatus eſt, cùm illorum acies Troianorum ceſſiſſet armis, ac fugientibus acriùs Hector inſtaret, propinquum in collem inermem ſubiſſe, indidémque Troianos ab ſuorum caſtris ac nauibus ſolo conſpectu & clamore depuliſſe. Quis non incredibilius principis noſtri factum illud exiſtimet, qui non exercitum vnum, ſed ampliſſimum ab internecione regnum ſolo contuitu ac minimo temporis momento cohibuit? Quòd ſi ex vetere

Lace-

Lacedæmoniorum inſtituto maior his ducibus triumphus iure decernitur, qui honeſtis conditionibus pacem cum hoſte compoſuerint, quàm qui eius ſanguinem ac cruorem profuderint; tu in domeſtico illo tumultu ſedando, magnorum imperatorum, LVDOVICE, famam & gloriam obſcuraſti tuâ. Tu paternam lauream inſignem illam quidem, ſed plurimorum tamen ſanguine cruentatam lilij tui candore ſuperaſti. At hæc quanta celeritate confecta ſunt, Auditores! Tantámne vnius hominis, atque eius quidem adoleſcentis, eſſe virtutem, vt exulceratos mutuis iniuriis & offenſionibus inter ſe ciuium animos tam ſinceram ad gratiam vix puncto temporis interiecto reuocaret? Quis enim ſubitò productus in theatrum è machina Deus difficiles fabularum exitus tam extricauit facilè, quàm citò LVDOVICVS impedita regni negotia ſolertiæ ſuæ ac conſilij luce patefecit? Quanquam ego celeritatem minùs admiror: illud verò plurimum obſtupeſco, tantam voluntatum concordiam non ad exigui ſecuritatem temporis erectam, ſed ad perpetuitatem otij & quietis eſſe deuinctam. Neque hoc tamen magnopere demirabitur, qui id paululum attenderit, quibus prudentiæ artibus ac præſidiis niti maximarum ad rerum adminiſtrationem conſueuerit. Multa egregia, multa præclara, multa in illius indole Diuina ſunt. Tamen hac lege, quam in gubernando imperio ſibi ipſe præfixit, haud ſcio an quicquam poſſit eſſe præſtan-

tius : quæ eſt eiuſmodi, nihil vt niſi de conſilij ſententia & auctoritate ſtatuat, nec in deliberando ſuam potiùs quàm aliorum opinionem ac iudicium ſequatur. Huius enim eſt eximia illa vox, qua initio capeſſendi imperij ad conſilij ſui participes vſus eſſe dicitur : Viderent id modò, cuiuſmodi ſibi conſilium darent : nihil ſe vnquam niſi ex illorum voluntate facturum. Iam itaque non ex vnius hominis ingenio æſtimanda LVDOVICI prudentia eſt : ſed quot habet auctores ac conſiliarios, totidem eorum mentes velut in ſe complecti videtur, ac ſapientiam vnus omnium ſuam propriámque feciſſe. Quàm vultis egregia atque inſignia documenta conquirite. Excutite veterum commentarios omnes, qui de ordinandis ac regendis hominum ſocietatibus ſcripſerunt. Omnia vna illa voce decretóque contineri, atque hanc eſſe ciuilis prudentiæ ſummam & caput inuenietis, ad quam ſolâ indolis & ingenij bonitate noſter, non doctorum inſtitutione ac diſciplina perductus eſt. Quid enim deeſſe illi ad bene beatéque imperandum poteſt? quânam porrò vel leuiſſima in re titubabit, qui nihil abſque prudentiſſimorum hominum arbitrio capeſſat vnquam, eorúmque diligentiſſimus ſit, quæ ab illis facienda didicerit? Præſertim cùm tales ad conſultandum viros adhibeat, quibuſcum nemo ſit vſu rerum & experientia, integritate, fide, ſapientia comparandus. Atque hæc excellentis in LVDOVICO prudentiæ ac reliquæ virtutis admiratio tan-

tam ei apud exteras nationes ac principes au-ctoritatem peperit, vt ad mutuas contentiones controuerſiáſque ſedandas vnum illum arbitrum ac diſceptatorem deligant. Norunt hoc Vercellæ nuper ingenti cum orbis Chriſtiani gratulatione illius æquitate receptæ. Vidit hoc Italia, quam domeſtico inteſtinóque bello flagrantem, & ad ſinum ſuum confugientem eâdem auctoritate recreauit. Et quidem, Auditores, cuius illud de LVDOVICO exiſtimationis fuit, tantum vni regi peregrinos ac potentiſſimos principes detuliſſe! Quàm illud à Chriſtianis omnibus optatum magis quàm ſperatum! Vt infinitorum hominum ſaluti, vrbium incolumitati, regnorum tranquillitati, totius Eccleſiæ ſecuritati, vno illo eſt regis interdicto breuiſſimo conſultum! Quis, præpotentem terra maríque regem, ampliſſimis opibus, maximis ac fortiſſimis exercitibus præditum, inflammatum iracundia, ardentem cupiditate belli, in retinendo victoriæ fructu ac præmio pertinacem, vel ad eas conditiones deſcenſurum omnino, vel re iudicata tam facilè acquieturum putaret? Vrbémne muniſſimam & opportuniſſimam medio in armorum tumultu, captam ex hoſte luculentiſſimam prædam, ſine bello, ſine ſumptibus ei cuius erat, vnius voce ac ſententiâ reſtitutam? Ita planè, Auditores, ita deinceps ac perpetuò contingat. Redeat vetus illa Francorum regum dignitas & gloria. Valeat in dies pacificandis Chriſtianorum odiis ac diſſidiis Chri-

ſtianiſſimi Regis auctoritas. Vt hominis vnius arbitrio dirimere controuerſias malint ſuas, quàm vi, rapinis, cædibus, incendiis, vrbium & imperiorum euerſione ac ruina perſequi. Vtinam, Auditores, vel ad dicendum plus aliquanto mihi ſpatij contigiſſet, vel alterius ac nouæ orationis facultas eſſet oblata. Nunc me repentè de ceteris præſtantiſſimi regis laudibus dicere parantem temporis ratio in ipſo curſu inſtituti ſermonis repreſſit: quæ me iamdudum exitum vt aliquem inueniam prædicationis huius hortatur. Quamobrem detractis ex hac oratione reliquis omnibus, vnius poſtremò mentionem leuiter attingam, amoris erga litteras ac beneuolentiæ. Quarum quidem fouendarum & amplificandarum ſtudium amplum regibus & honorificum eſt, reipublicæ verò ſalutare.

Doctiſſimis in Græcia hominibus placuiſſe ſcimus, tum demum ciuitates & imperia felicia fortunatáque fore, cùm eorum moderatores optimarum artium, præſertímque philoſophiæ ſtudiis eſſent exculti. Quod Platonis, opinor, decretum hactenus à diſcipulo reprehenditur, vt principes valde quidem eruditos ipſos eſſe neget oportere: quòd id & otij nimium exigat, &, ſi vehementer fiat, non ſatis afferat dignitatis. Optandum illud verò, vt, quod in ſe minùs habent, id in aliis adamare complectíque velint, & ad eius cupiditatem honorum ac præmiorum illecebris alliciant. Quod poſterius ſic Ludouicus arripuit,

ita litteras ac litteratos colere omnes inſtituit, vt eum amorem ad illam præcipuè iuuandam reipubl. partem transferret, quæ hoc ſubſidij genus magnopere flagitabat. Hoc enim ſtudet, ad hoc omni conatu totíſque viribus enititur, vt ſacrorum miniſtri ac religionum antiſtites quàm doctiſſimi ſint, ac neceſſariis artibus expoliti. Nec eſt quiſquam nobilitate tanta ac potentia, neque tam maiorum ſuorum commendatione vel ſua gratioſus, qui, niſi petitioni ſuæ ætas ac doctrina ſuffragata fuerit, ſacerdotium ab rege vllum poſſit auferre. Atque hoc primùm in dandis beneficiis percontari ſolet, ſítne is morum probitate ac ſcientia, cuius cauſa poſtulatur, idoneus: nihílne ſit denique in collocanda gratia, quod cum rectâ conſcientiâ atque officio pugnet. Quàm vellem (Auditores) id ab regibus omnibus diligenter eſſet antè prouiſum, aut conſequentium ſaltem vſus ac conſuetudo retineret. Meliùs vtilitati publicæ foret, meliùs illorum integritati, meliùs Chriſtianæ rei conſultum. Haberet Eccleſia celeberrimos præſtantiſſimóſque viros, quorum copia & auctoritate floreret. Non eſſet ſectarum illa varietas ac pernicies conflata: vel in ipſa origine repreſſa atque extincta concidiſſet. Silerent improbiſſimi hoſtes, nec deridendâ ſacerdotum inſcitiâ damnis noſtris ac calamitatibus illuderent. Minus eſſet Chriſtiana in republica malorum ac ſcelerum. Emerſiſſent ad immortalitatem vitámque complures, qui ſem-

piterno interitu, rectorum vel incuria vel exemplo perierunt. Pacis denique, cuius in Eccleſia deſiderium vix ferre poſſumus, fructum modò iucunditatémque caperemus. Hoc quidem imperante Rege, & eodem in animo inſtitutóque perſeuerante, ſpes eſt procurari domeſticum illud decus poſſe, veterémque Gallicanæ ſplendorem Eccleſiæ ornatúmque recuperari. Cuius ad propoſiti ſollicitudiníſque partem cùm alios præſtantiſſimos adiutores vocandos, tum Societatis noſtræ operam non contemnendam putauit. Itaque & in multis regni ciuitatibus diſciplinarum ei ludos inſtituit, & in hac imperij ac doctrinarum arce collocatos iamdudum occluſóſque reſerauit. Nam quid aliud Pariſienſem omnem Academiam, atque iſtas adeo Societatis ſcholas eſſe dicam, niſi fontem veluti quendam ac ſeminarium optimorum ciuium, integerrimorum magiſtratuum, lectiſſimorum ſacerdotum, pontificum ſanctiſſimorum? Magna eſt in hoc grege noſtro ætatum, fortunarum, conditionum, ſtudiorum varietas. Video mirificam in omnibus ferè indolem ingenij, in pleriſque verò etiam laborem & induſtriam. Accedat modò, quæ à nobis exquiritur, quámque ego communi nomine polliceor, præceptorum aſſiduitas & diligentia. Nónne euolaturos ex hoc loco propediem excellentes illos, quos attigi modò, ordinum omnium viros exiſtimabimus, ac cùm huic imperio ſplendori, tum orbi terrarum admirationi futuros? Sed

reliqua ſcholarum ornamenta recens ille ſuperat ſplendor & obſcurat, qui ex eiuſdem illis voluntate principis nuper acceſſit. Quid enim iis magnificentius accidere poteſt, vel ad litterarum teſtificandum in Rege ſtudium illuſtrius, quàm quod ex duobus, quos ad diſcendum idoneos habebat, fratribus, magni illius Henrici filiis, alterum ſcholis noſtris diſciplinæque tradidit, alterum etiam domi noſtræ in ipſo pæne Societatis gremio ac ſinu collocauit? De cuius laudibus déque incredibili celeritate ingenij, docilitate, memoria, ardore diſcendi, tum verò pietate, facilitate, humanitate, ceteríſque virtutibus, quibus LVDOVICI fratris geminus eſt ac ſimillimus, de iis, inquam, quæ ſcire ipſe admiraríque potui, dicam hoc loco nihil. De tam prolixo Regis in nos animo ac cùm ſuperiore illo reſtitutarum ſcholarum, tum poſteriore, quod modò dixi, beneficio quid ſentiam, ſimul ac propoſuero: ego dicendi, vos audiendi finem facietis.

Maximus eſt à te (LVDOVICE Rex Chriſtianiſſime) Societati noſtræ tam illuſtri teſtimonio honos habitus. Intellectum eſt, quanti nos faceres ipſe, fieríque ab omnibus cuperes, ac quid de integritate noſtra contra maleuolorum inuidiam calumniámque ſentires. Summam igitur gloriam dignitatémque ſumus tua voluntate conſequuti. Sed hoc tamen pace velim dictum tua, non minùs hoc tuo beneficio ac de nobis opinione, curæ ac ſolicitudinis

quàm voluptatis aut ſplendoris attuliſti. Fateor enim me, quod & idem noſtris omnibus euenire ſtatuo, cùm de hac ſingulari regij erga nos animi ſignificatione cogito, ſolicitari nonnunquam angíque vehementiùs. Video enim elaborandum id eſſe nobis, vt hoc tanto principis iudicio digna Societas habeatur. Intelligo non noſtram ſolummodo nobis exiſtimationem, ſed & Regis commendationem eſſe præſtandam. Id enim agi profectò, vt ſi hominum expectationi reſponderimus, ſapiens in nobis ornandis ac reſtituendis illius conſilium: ſin ſatis admodum non fecerimus, vel errore ſuſceptum, vel gratiæ conceſſum videatur. Verùm perpeti omnia ac tolerare ſatius arbitror, quàm Regis de nobis conſilium factúmque reprehendi. Quod ipſum facilè (vti ſpero) prouidebitur, ſi regiam erga has ſcholas voluntatem veſtra quoque, (Pariſienſes Auditoréſque ceteri) quanta hactenus fuit, quantámque veſter hic concurſus, & in audiendo humanitas oſtendit, iiſdem tuendis fouendíſque benignitas conſequatur.

DE CONTEMNENDA *Inuidia.*

ORATIO SEPTIMA.

FACERE omnino non poſſum (Auditores) quin cùm de contemnenda inuidia diſputandum mihi hodierna die cogito, ſummum ex acerbiſſima recordatione animi dolorem moleſtiámque capiam. Occurrit enim ſubitò mihi inuictiſſimi & immortalitate digniſſimi Regis recens atque inopinatus exitus: qui cùm publicè omnibus maiorem, quàm ex vllius vnquam morte principis, curam ac ſolicitudinem attulit: tum priuatim in nobis incredibilem iuſtiſſimi ac ſanè neceſſarij mœroris vim excitauit. Nam vt omittam de ceteris acerbitatibus cogitando recordari; vel ex hoc ipſo dicendi argumento quàm luctuoſus is acciderit, exiſtimare poteſtis: quòd qui antè ſingulari illius patrocinio tecti, malorum noſtrorum ſenſum aut nullum, aut exiguum habebamus, nunc primùm acriùs laceſſiti de eorum ſolatio aliquo ac remedio cogitemus. Quanquam ea eſt, Chriſtianiſſimi regis ſereniſſimæque matris benignitate conſecuta tranquilitas; ea in optimorum principum bonorúmque omnium conſenſu innocentiæ integritatíque conſtituta præſidia; vt

ſtatuere ipſe vix poſſim, magíſne ad inuidiæ metum, ac ſubſidium, quàm ad irriſionem ejus, ac fiduciam hæc comparanda ſit oratio. Sed ſiue ex timore aliquo, ſiue ex ſecuritate contemptúque proficiſcatur, planè id erit quod dicetur cum maximo non ſolùm noſtro, ſed & veſtro omnium, qui hîc adeſtis, noſtrorúmque potiſſimum adoleſcentulorum animi fructu coniunctum. Qui cùm in honeſtiſſimarum præſtantiſſimarúmque rerum ſtudium ingreſſi ſint; nihil in tanta ætatis imbecillitate fieri poſſit vtilius, quàm vt id maturè prouideant, quod egregiis illis conatibus inimiciſſimum ſit, & huic ipſi intelligant quibus ſit remediis, quáque animi cautione conſulendum. Etenim hoc ſingulari atque inſito propè fato fieri videmus, vt præclaris atque excellentibus ſtudiis perpetuò quædam inuidiæ ac maleuolentiæ funeſta fax adhæreſcat. Quæ quidem ad labefactandam opprimendámque animi firmitatem eo plus habet virium, quo homines nulla re magis quàm hominum de ſe ſermonibus atque exiſtimatione moueantur. Quamobrem pro mea erga vos voluntate totum me ad huiuſce periculi propulſandam atrocitatem conuertam: ídque pugnabo hac oratione, &, vt ſpero, bona veſtra venia ac facilitate fretus efficiam, vt ad honeſta eximiáque contendentibus non modò non metuendam inuidiam, ſed etiam gloriandam ac prædicandam eſſe iudicetis.

Atque hæc vna demum ſuperandi mali huius

ratio eſt, quæ in ipſius tolerantia contemptúque conſiſtit. Quod enim, vt in aliis vitæ incommodis, ſic in hoc genere polliceri ſibi quiſpiam poſſet; certo conſilio poſſe atque prudentia declinari; nimiùm, quiſquis eſt, errat ille, qui ſibi ad virtutem ac præclaras artes aſpiranti tutum à maleuolorum inuidia iter ac molle poſſe putet obtingere. Ferenda omnino vel improborum, vel eorum, quibus nondum cognitus, apud quos in ſuſpicionem inuidiámque ſis adductus, offenſio eſt. Quod tametſi indignum, atque etiam virtutis communíſque adeò humanitatis nomine dolendum eſt; meliora conſectanti cum tam iniquis hominum iudiciis conflictandum eſſe: ex eo tamen primum huius incommodi remedium arceſſendum eſt, quòd ea bonis omnibus videatur velut neceſſitate quadam attributa conditio. Igitur vti ad leniendas moleſtias, mitigandóſque ærumnarum atque ægritudinum morſus, vulgò vſurpari iſta ſolent; ea lege homines eſſe natos; neque conuenire, vt qui in hanc vitam, velut remp. quandam ac ciuitatem, introductus ſit, non iiſdem quibus ceteri legibus atque inſtitutis teneatur: idem in virtute atque optimis complectendis ſtudiis valere debet, vt perinde qui eis ſe dediderint, putent impoſitum ſibi hoc onus eſſe ſubeundæ inuidiæ: quare aut abiiciendum omnino conſilium eſſe; aut id æquo animo patiendum, quod, qui idem ſuſceperint, omnes conſtet tranquillè moderatéque tuliſſe. Sed de hocquidem mox vide-

rimus. Interim ne cui acerbum iſtud ipſum videatur, in tam crudelem neceſſitatem incidiſſe, vt aut deponenda penitus honeſtarum rerum cogitatio ſit, aut hominum odio inuidiáque conflagrandum: conſolemur nos dignitatis gloriæque conſcientia, ídque animo reputemus; quibus ex rebus ali atque excitari inuidia, quos peruellere potiſſimùm aggredíque ſoleat.

Nihil hoc loco de opibus, fortuníſque, vel claritate generis, ceteríſque bonis diſputo, quæ etſi inuidiæ vel plurimùm ſecum attrahant, abeſt tamen à politioribus ingeniis aperta illius in quemquam liberáque profeſſio. De ea tantùm diſputo, quæ ex animi bonis, eruditionis ſcilicet copia, aut excellenti quadam virtute naſcitur. Quam ita omnes conſentiunt ex præſtabili aliquo inſigníque animi ornamento exiſtere, vt & eo carere ſeſe qui inuidet, fateatur, & in eo, cui inuidet, ſiue ex rei veritate, ſiue alterius opinione reſideat. Atque hoc etiam in altero inuidiæ genere clariſſimè cernitur. Neque enim facilè modicis fortunis inuidetur: & quibuſcunque tandem inuidetur, eiuſmodi ſunt, vt infra eas ſuam eſſe ſortem inuidus, ac conditionem ſitam agnoſcat. Quare quid dici ad ſplendorem gloriámque maius? quid ad ſedandam inuidiæ moleſtiam præſentius poteſt, quàm ſi in te ineſſe aliquid, vel aduerſariorum tuorum iudicio, recordêre, quo iidem longo abs te interuallo ſuperentur? quod aſſequi ſe poſſe diffidant? quod eximium,

ſingulare, difficile, non vulgare, hoc eſt, inuidia dignum, intelligant? Egóne me virtutis ſcientiæque nomine in inuidiam adductum ac laceſſitum moleſtiùs feram, qui hoc habeam graue illuſtris ingenij teſtimonium, commendationémque virtutis? Et illud quidem non pretio atque opibus redemptum; non ambitione ac precibus impetratum; non ore tenus ac verbis expreſſum: ſed inuito mihi ac præter voluntatem oblatum, ſed vel ab inimicis ipſis extortum; ſed in intimis eorum ſenſibus conſcientiáque defixum? Quid enim aliud illi cogitant, cùm æmulatione virtutis tuæ, (non eâ dico, quæ in laude etiam poſita ſit, quâ imitari quod admirantur, geſtiunt: ſed quæ maleuolentia atque òbtrectatione alterius inficitur.) Quid, inquam, aliud animo cogitationéque verſant, niſi hoc ſentiunt? habere te aliquid, quod vehementer ipſi appetant; quod in te ineſſe doleant; quo priuari ſe, atque abs te vinci iniquiſſimè ferant? Hoc cogitant, dixi? Quaſi non palam omnibus in dictis factíſque ſuis, dum lacerant, dum detrahunt, dum hoſtiliter inſultant, dum nullum calumniandi mordendíque finem faciunt, iſtud ipſum magna voce pronuntient: Altiori in ſtatu ac ſublimiori tua te virtus collocauit. Vinci abs te inferioréſque nos eſſe agnoſcimus. Sed hoc, quia graue miniméque ferendum nobis eſt, omnibus machinis atque conſiliis oppugnabimus. Te quidem metui modò à nobis ac ſuſpici neceſſe eſt, quorum improbitatem ac ſcelus integritate

vitæ etiam tacitus coarguis. Sed efficiemus profectò tandem, vt caſu aliquo & ruina labefactatus perculſúſque concidas. Hac tam luculenta imbecillitatis ſuæ, tuæ virtutis agnitione confeſſionéque quid amplius aut magnificentius infenſi præſertim atque inimici conferant? Ego ne ab amiciſſimis quidem maius aliquid expecto: quorum eſt laus commendatióque fallax ſæpiſſimè, & ab amore potiùs quàm à rei veritate, aut certa virtutis exiſtimatione profecta. In hac nihil fucatum, nihil ſimulatione atque adulatione ſuffuſum. Regnum, ita me Deus amet, quoddam viri boni in maleuolorum mentibus ac iudiciis conſtitutum habent. Niſi fortè regiæ dignitatis non illud arbitramur præcipuum, quòd in aliquo etiam inuiti homines ampliorem quàm in ſe vim atque auctoritatem vereantur. Senſit hanc cum regibus affinitatem hac in parte ſapientiæ ſapiens ille; qui cùm audiret ab amico, vehementer de fama exiſtimationéque ſua ab neſcio quo detrahi, nihil ea re commotus; Hoc, inquit, verè ſplendidum, ac regium eſt, poſſe cùm bene egeris, inuidiam ſuſtinere.

Parum hoc fortaſſe nec immeritò videatur; oriri ex cuiuſquam virtute ac præſtantia aliorum inuidiam. Quid enim ſi nihil amplius ex ea re commodi ad virtutem accedat, quàm vt eam in me, aut altero ineſſe comperiam? Velut ſi quis naufragij aut incendij periculum gloriandum dicat; quòd hinc opum eſſe aliquid appareat, in quod exitium illud ac pernicies

incumbat. Nihílne igitur præter virtutis indicium cum ſummo præſertim eius periculo coniunctum habet inuidia? Habet vtique vel hoc primùm; quòd ea quodammodo irritata excitatáque virtus gliſcat in dies, atque vberioribus incrementis proficiat. Poſſum hoc loco quamlibet ea magnificè perſequi, quæ de vtilitate, fructúque etiam ab inimiciſſimis capiendo, vulgò à philoſophis diſputantur: qui omnis aut præcipuus eo maximè continetur, quòd inde velut cotem quandam habeant boni viri acuendæ procudendæque virtutis. Sed ea commemorare potiùs libet, quæ in præclarorum virorum exemplis extant expreſſa conſignatáque teſtimonia. Quorum ne vnum quidem inuenias, cui non cum aliorum inuidia diu multúmque fuerit confligendum: neminem, qui non ex hoc ipſo inſigne ſibi quiddam ad gloriam nominis ac ſplendorem pepererit. Qua cum diſputatione alterum illud, quod antè dixeram, emolumentum coniunctum eſt, minùs vt moleſtè laturi ſint qui eâdem inuidiæ tempeſtate iactantur, quo plures in ea ac præſtantiores fuiſſe verſatos didicerint. Cuius enim tantæ ſiue arrogantiæ ſiue mollitiæ ignauiæque eſt, quicquam hac in parte ſibi præ ceteris optare præcipuum? nolle quorum virtutem atque egregias artes imitêre, eorum in perferendis iniuriis conſtantiam ac tolerantiam præſtare? Quid eſt quod te vſqueadeò angi animo ac diſcruciari oporteat? Vellicari hominum calumniis, ac ſermonibus tra-

duci graue tibi atque odioſum eſt? Quàm meritò nondum dico: hoc dico; contempſiſſe iſtud quàm plurimos; aliquot etiam vltrò prouocaſſe: qui idem & vir bonus eſſet, & hæc euitaret, repertum hactenus neminem. In quo quidem quàm delicatus parúmque virili ac generoſa mente ſis, vide. Ferre hominum de te rumuſculos conuitiáque patienter non potes? Expectabam vt mortem mihi aut exilium nominares: quod vtrùmque quàm multis ſolo ſapientiæ aut virtutis nomine, non tam crudeliter ab inuidis illarum, quàm fortiter & conſtanti animo exceptum fuiſſe legimus. Nondum noſtros, hoc eſt, vera pietate veráque religione præditos attingo: hærebo pauliſper in exteris. Nec Socrates tamen illos, Ariſtoteles, aut Phociones plurimùm morabor: quorum tritis ac peruagatis nominibus vti, quàm eſt ad orationis fidem atque auctoritatem amplum, tam ad commemorandum fortaſſe putidum. Lectos aliquot ex ipſa antiquitate proferam: quò in paucis appareat, eos qui cùm bene de aliis inſtituendo informandóque, tum de ſe optimè mereri vitæ integritate ſtuduerint, nullo non tempore liuori atque offenſioni patuiſſe.

Fuit ex eorum numero, quos olim ſapientiæ opinione percelebres vetus habuit Græcia, omnium iudicio facilè princeps Democritus. Nam neque naturæ occulta quiſquam (vt illis temporibus) ſolertiùs explorauit, neque humanarum rerum conditionem æſtimauit pruden-

dentiùs ; & morum in eo grauitas innocentiáque vitæ ſingularis eluxit. Sed ille tamen tantus vir támque alta mente prædìtus vix è communi hoc incendio ambuſtus ac pæne conſumptus euaſit. Cùm enim is Abderæ, qua erat ex ciuitate oriundus, conſtitiſſet ; ibíque domicilium ſtudiorum ſuorum ac philoſophiæ fixiſſet, popularium ſuorum inuidia ac communi ciuitatis decreto abire eſt inde iuſſus. Addidere nefariæ damnationi, criminis loco, ſtolidam atque inauditam amentiam : ideò ſapientiſſimum hominem cedere patria coactum, quòd neminem in ea eſſe vellent, qui plus ceteris ingenio ac ſapientia valeret. Riſum opinor vobis non minùs quàm ſtomachum tam inſolens hominum laſciuia commouit. Vt meritò alter eadem ætate ſapiens (credo Heraclitus is fuit) graui illam ſententia & auctoritate iugularit. Fuſtuarium meruiſſe Abderitas omnes dixit. Triſte, & dignum hominis ingenio decretum. Contemneret alius, ſatíſque magnas ſtultitiæ pœnas perſolutas putaret ; quòd à ſe ſponte rem omnium ad vitam vtiliſſimam ſeparare voluiſſent. Atque is quidem domi quietus & otioſus eo duntaxat damnatus nomine eſt, quòd in ſinu gremióque ſuo ſapientiam foueret. Quanto plures communicatæ cum aliis eiuſdem, tanquam atrociſſimi facinoris poſtulati, non tam ſibi calamitoſas, quàm auctoribus ipſis ignominioſiſſimas pœnas dederunt ?

Venerat aliquando philoſophandi ſtudio è

Scythia in Græciam Anacharſis. Vnde poſtremò reuerſus in patriam, cùm peregrinis artibus importatis ciues ſuos ad mitiorem cultum ab inſita ferocia reuocaret, à circumſtante plebe ac principe fratre ſuo eſt inhumaniſſimè trucidatus. Barbarum facinus, vt à barbaris hominibus media in barbaria commiſſum. Quàm eſt verò hoc ipſum tolerabile, ſi quis animo philoſophorum greges reputet priuatim publicéque non in angulo aliquo terrarum orbis, non ab horridis & incultis nationibus, ſed in media humanitatis luce, in ipſo artium doctrinarúmque domicilio, partim veneni hauſtu necatos, partim immanibus plebiſcitis exterminatos? Quo enim furore, qua veſania, qua ad omnem poſteritatem infamia ac dedecore, primùm Athenis, inde Româ philoſophorum natio omnis excluſa eſt? Neque hinc ſemel, ſed iterum amandata ſapientia eſt: tametſi alterius relegationis ignominiam eius, cuius illa iuſſu impoſita eſt, turpitudo atque improbitas ſubleuat. Quis enim cùm à Domitiano, omnium mortalium impuriſſimo ſceleſtiſſimóque, philoſophos omnes Vrbe atque Italia pulſos audit, non illud putet, ſummum ad profeſſionis huius ſplendorem gloriámque redundare? Huic non abſimilis temporum illa peſtis atque colluuio fuit, quæ & Athenis celeberrimum ciuem, eundémque grauiſſimum philoſophum Demetrium profligauit, & Romæ deinceps Boëtium iniquiſſimo regis edicto primùm exilio, deinde morte, & immaniſſimo

ſupplicio mulctauit. At quem virum? quanta artium omnium doctrinarúmque præſtantia? quanta vitæ caſtitate, fide, religione, integritate, prudentia?

Bene ſanè atque opportunè factum (Auditores) quòd ab Gentilibus ad noſtros tandem, imprudentes euaſimus. Non enim illud fortaſſe mirum eſt, arſiſſe hominum inuidia fucatam illam ambitioſámque virtutis ſpeciem. Nec magno admodum damno, vtpote adultera corruptáque ſapientia, nequiſſimorum in ſeſe mortalium procacitatem ac petulantiam conuertit. Illud magnum eſt, & huius orationis argumentíque præcipuum: Diuinam alteram ac cùm veritatis luce perfuſam, tum ſolidæ ac ſinceræ probitatis magiſtram, aſſiduè cum iiſdem illis fluctibus, atque eadem hominum iniquitate certaſſe. Certaſſe dico? Et verò atrociſſimo periculoſiſſimóque conflictu. Nec eſt tamen, quòd eam magnopere ſortis huius ac conditionis pœniteat. Certauit vtique; ſed victrix perpetuò ac triumphans diſceſſit. Multi in illam magníque ſæpius nefariorum hominum impetus, & bonorum multi: ſed vtriſque diſiectis ac diſſipatis emerſit illa tandem, ſéque maiorem inde ad gloriam ac decus erexit. Vtinam (Auditores) ſiue ingenij mei ac memoriæ imbecillitas; ſiue debitæ erga humanitatem veſtram verecundiæ ratio; ſiue poſtremò præſtituti ad dicendum temporis breuitas pateretur, vt, quod facere hoc loco maximè ſtatueram, partim ſacris è litteris, partim aliis ex

monimentis ſingillatim inſignium virórum exempla depromerem. Docerem, in omni ætate fuiſſe ſemper aliquos, quorum ſpectatam multis magníſque rebus integritatem fœda illa inuidiæ labes afflictam atque exercitam habuiſſet. Vos ipſi, quod præſtare in præſentia hac oratione prohibeor, priuatim apud vos facite, vt iam inde à vetuſtiſſimis ſæculis acerrimum virtutis cum inuidia certamen ad hæc vſque tempora repetatis. Non erit in huius inquiſitione magnopere laborandum: res eſt cùm perſpicua omnibus, tum exemplorum multitudine pæne infinita. Tantum oculos ad ſacrorum voluminum lectionem adiicite. Occurret vobis hinc fraterno ſcelere ſublatus ſanctiſſimus adoleſcens: illinc leuiore aliquanto, ſed execrando facinore interceptus alter ac venditus; vterque tamen vnius ſanctimoniæ ac virtutis nomine in eam calamitatem adductus. Sequuntur alij, quibus non tam bonis eſſe ipſis, quàm alios doctrina inſtitutionéque eôdem compellere fraudi atque exitio fuerit.

Poterat ſecurus eſſe, omníque vacare inuidia Hebræorum prudentiſſimus legiſlator, ſi impoſitum ſibi à Deo virtutis morúmque magiſterium deponere voluiſſet. Non eſſet in tanta ſuorum atrocitate atque iniuria verſatus: nec imminentes toties ceruicibus ſuis, & diſtrictos gladios ac volitantia ſaxa timuiſſet. Iam verò quæ & quanta eam ob rem diſcrimina adierit; quantum oneris ac negotij in tractan-

da contumaci ac rebelli gente ſuſceperit: quas etiam à coniunctiſſimis vexationes ac moleſtias perpeſſus ſit, cogitatione aut lectione vobis eſt, quàm mihi oratione aſſequi, facilius. Prophetas ipſos verò prætermittere quî poſſum? quorum propria illa profeſſio fuit, vt quam ipſi inſignem in animo conceptam vim haberent ſanctitatis ac ſcientiæ, eam in alios commonendo, reprehendendo, hortando denique transfunderent. Nolo tamen eorum virtutem cum ſumma patientia coniunctam meis verbis ornare potiùs, quàm diſertiſſimo ſummi præconis teſtimonio commendare. Audite igitur ſingulare de iis Diuini Apoſtoli elogium. *Alij* (inquit) *ludibria, & verbera experti, inſuper & vincula & carceres: lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.* Ergo ea profitendæ tradendæque virtutis præmia ſunt. Hac infelicitatis inuidiæque mercede id quærimus, quicumque demum iſtud quærimus, vt nequitia & ignoratione depulſa, lucem hominum mentibus ac pietatem inferamus. Eiuſmodi cetera eſſe, quæ à me neceſſariò prætereuntur, clariſſimorum virorum exempla putatote. Vna omnium fortuna, & quaſi lex fuit, idem exitus: quia idem omnibus ſtudium, eadem fuit cum vitiis ac prauitate ſuſcepta dimicatio.

Fuerit ſanè in magnis præſtantibúſque viris, plurimis iactata iniuriis virtus: feratur vtcun-

que in bonos inuidiæ poteſtas : graſſetur in eximiorum hominum innocentiam, flagitij atque improbitatis licentia : quiduis denique, dum in homines, audeat; abſtineat Deo. Faciet id verò : Quid enim hoc tam temerario áuſu reſpiciat ? aut qua ſpe infinitam illam vim ac poteſtatem oppugnet? Miſerum me! Quid enim volo? quid cogito? quid mihi hoc dicendi argumento atque hac oratione ſuſcipio? Etiámne inuidiæ ſolatia comparantur ? Hoc nimirum aſſequi conamur, non vt moleſtè feramus aliquando nos aliorum maleuolentia atque audacia violari. At qui tandem id facimus? qui ſumus, quos ægrè pati iſtud atque offendi horum iniuriis conueniat ? Supráne communem conditionem hominum elati proprium nobis quiddam ac diuinum ſumimus? Sumamus profectò, dum contenti ſimus, dum ne illud etiam aſpernari velimus. Patienter quicquid Deus, Deus inquam ipſe pertulerit, feramus & nos. Tametſi non illud à nobis exigitur: verùm imitemur vtique quoad poſſumus. Hoc certè præſtare poſſumus, vt quam ille in crudeliſſima tantæ inuidiæ flamma, tam ſæuis atque acerbis cruciatibus, tam nefaria atque indigna morte ſubeunda inexpugnabilis animi conſtantiam ac fortitudinem præ ſe tulerit, eius nos particulam in contemnenda ſaltem ſuperandáque aliquantula hominum offenſione præbeamus.

Sentio (Auditores) & vos vnà mecum percipitis, qui ſe mihi dicendi locus, quàm copioſus, quàm potens, quàm efficax, quanta ora-

tionis vis ac facultas aperiat. Quæ mihi quidem nunc primùm oblata potiùs quàm initio orationis gratulor. Nunc enim ſi aut à me omiſſa, aut ieiuniùs tractata tanta res fuerit, temporis anguſtiis potiùs quàm inopia noſtra atque infantia factum exiſtimetur. Tum neque omitti à me ſine præuaricatione potuit, & tractari niſi incredibili, quæ in me non eſt, eloquentiæ facultate non potuit. Quamobrem diſcedam hinc ego bene vobis iubentibus, & ita diſcedam, vt hoc mentibus veſtris infixum eſſe cupiam; quàm non grauatè toleranda contemnendáque inuidia ſit, à cuius contagione immunem ſeſe eſſe maieſtas tanta noluerit. Fuit hoc verè, fuit acerbum generi noſtro atque luctuoſum, vſque eò premi hominum inuidia, editam hominum cauſa, atque in terras delapſam æternam ſapientiam. Idem tamen, reliquos vt fructus prætercam, ad ſingulare ferendæ inuidiæ documentum humano generi fuit neceſſarium. Cogitate animo fortiſſimos atque inuictiſſimos Chriſtiani nominis athletas: omnem illam in propaganda religione, tradendíſque fidei ſeminibus apoſtolorum conſtantiam, incredibile atque inuſitatum ſanctiſſimorum martyrum in difficillimis tormentis perferendis robur; intolerabiles omnis ætatis omníſque ſexus pro pietate cruciatus, carnificinas, laniationes: quicquid ſæuiſſima tyrannorum ingenia, aut ad contumeliam ignominiámque inauditum, aut ad ſupplicium corporum aſperum ac vehemens, aut ad ce-

terorum terrorem validiſſimum excogitare potuerunt. Omnes iſti effrenatæ inuidiæ furioſi atque inflammati impetus (quæ omnia cuius tandem cogitatione ac memoria, nedum oratione contineantur ?) Hæc, inquam, tam inſignia, tam efficacia ad contemnendam inuidiam exempla illo prorſus auctore atque impulſore ſuſcepta ſunt.

Quid illa, quæ tametſi minus habent crudelitatis ac ſanguinis, eo tamen ad demonſtrandam inuidiæ pertinaciam accommodatiora ſunt, quòd ab domeſticis, hoc eſt, eiuſdem profeſſionis ac nominis, hoſtibus defixa in bonorum fama atque exiſtimatione nefariæ obtrectationis tela continent ? Quæ vt in bonis omnibus (id quod ego tota hac oratione palàm facio) perpetuò hæſerint, in eos tamen præcipuè intenta coniectáque ſunt, qui ab hominum ſocietate certo animi conſilio ſegregati, ſanctiori ſe inſtituto ac vitæ genere deuinxerunt. Meminiſtis credo, quàm crebrò in ſelectum illum Eccleſiæ florem, Chriſtianæ dignitatis ornamentum, monachorum ſacratiſſimos ordines, perditiſſimorum ſeſe tyrannorum veſana rabies effuderit. Quoties illos in Oriente aut execrandi transfugæ veteratoria calliditas, aut Valentis hæretici hominis deſperatiſſimus furor, aut Copronymi Conſtantini fœda atque inaudita barbaries, aut poſtremò Leonis Armeni effrenata ferocitas peruertere funditus ac profligare contendit ? Cùm alios verberibus ac ſuppliciis conficerent, alios car-

ceribus atque ergaſtulis clauderent ; multos inedia faméque conficerent, pleroſque in exilium aut militiam tuguriolis ac gurguſtiis extractos, immaniſſimè compellerent. Sunt hæc & id genus alia, quibus noſtra etiam ætate in eius profeſſionis viros hæreticorum intolerabilis feritas graſſata eſt, quamlibet nefanda atque crudelia : ſed ea, vt pote ab externis atque hoſtibus, quoquomodo perferenda ſunt. Iſtud verò quis audire ſine gemitu poſſit, ne tutò quidem vnquam Chriſtianos inter, ac cum recta alioqui fide conſentientes, ei generi hominum licuiſſe conſiſtere? Audeo & rei veritate, & veterum monumentorum atque annalium auctoritate fretus aſſerere ; nullam vnquam inter tot támque multiplices familias extitiſſe, quam, cùm initio primùm inſtrui atque adornari cœpta ſit, non ad interitum propè atque internecionem cæca multorum libido ac peruerſitas redegerit. Sed illud æquè teſtatum compertúmque eſt, nulli eorum, qui ſe adeò nefarij contagione ſceleris obſtruxiſſet, tantam audaciæ temeritatem impunè ſtetiſſe. Vt à Gregorio, Baſilio, Hieronymo, Benedicto, ac reliqua vetuſtate diſcedam, faciam in vno vobis recentioris exemplo temporis, quod dico, manifeſtum.

Cùm primùm celeberrimi duo ſanctiſſimíque Dominicanorum ac Franciſcanorum ordines ſummas ad rei Chriſtianæ opportunitates emerſere, tanta eſt illis tempeſtas obiecta turbulentiſſimi temporis, vt occaſum extin-

ctionémque ſuam momentis pæne ſingulis perhorreſcerent. Sed acerrimè præ ceteris duorum hominum in eos perbacchata eſt inſania; qui è medio Eccleſiæ ſinu (proh Deum immortalem ! etſi graue illud dictu eſt, dicendum tamen) ex ipſo, inquam, ſinu Eccleſiæ coorti, concionibus, diſputationibus, ſcriptis voluminibus, omni eos importunitate, omnibúſque probris ac calumniis violarunt. Operæ pretium eſt animaduertere qua tandem ſeueritate tam atrox crimen Diuina iuſtitia vindicarit. Quanquam ea magna temeritatis pœna fuit, duorum præſtantiſſimorum clariſſimorúmque vtriuſque familiæ luminum auctoritate ac ſtylo fuiſſe confoſſos: amplius tamen ſubinde horribiliúſque ambobus ſupplicium inflictum eſt. Horum enim alter publico in purpuratorum Patrum conſeſſu conuictus, exuſtis conſceleratis voluminibus, dignitate eſt omni fortuníſque ſpoliatus; atque eidem inſuper LVDOVICI Regis iuſſu aqua & igni tota Gallia eſt interdictum. Alius non multo pòſt fœdiſſima lue ac membrorum diſſolutione correptus, extraordinario genere mortis quàm graue iſtud ſcelus eſſet, oſtendit, cui tantæ eſſent Diuino conſilio pœnæ conſtitutæ. Meritò ſanè in eam puniendam coërcendámque nequitiam pari conſenſione ad humanam Diuina ſeſe auctoritas adiunxit: vt nequaquam dubitare poſſemus cum eiuſmodi hominum iniuria vehementem vtriuſque contumeliam eſſe coniunctam.

Credo nonneminem eo animo atque opinione eſſe, vt me partem huius in nos querelæ atque orationis aliquam collaturum exiſtimet. Non faciam tamen hoc loco (Auditores) & modeſtiæ potiùs meæ quàm expectationis cuiuſquam rationem habebo. Simul illud occurrit : nondum fortaſſe eo nos eſſe loco, vt tolerandæ contemnendæque inuidiæ de nobis exempla ceteris præſcribamus. Accedit præterea, quòd qualiſcunque in nos, atque vtcunque commota primùm, mox compreſſa iactatio eſt, ſine ingenti atque acerrimo dolore commemorari non poteſt. Propterea quòd cuius conſilio, auctoritate, voluntate, liberalitate incredibili ac pæne Diuinâ inſtaurata, ac tantum, quantum omnes intelligunt, ornata noſtra dignitas eſt, ad eius cogor luctuoſiſſimum funeſtiſſimúmque deplorandum interitum, vt initium antea, ſic exitum orationis meæ conuertere. Cuius etiam illud ex improuiſo & miſerabili caſu didicimus: nullum eſſe tantum animi decus, nullam tantam dignitatis potentiam, nullam tantam amplitudinem virtutis ac gloriæ, quam non ſuffuſa inuidiæ peſte hominum audacia atque improbitas perrumpat. Verùm ſub ipſis feliciſſimi regni auſpiciis, recenti adhuc publicæ hilaritatis lætitiæque memoria, vt non deponi penitus tam vehementis calamitatis recordatio poſſit, alterius certè in loci opportunitatem ac temporis differatur.

Quod verò vnum & hodiernæ diei celebritas, & ineuntium ſtudiorum noſtrorum operæ-

que ratio, & cùm publica tum priuata omnium vota poſtulant, id ab regum omnium moderatore conſeruatoréque Deo poſtremò precabor: Vt naſcentis imperij primordia ab Chriſtianiſſimo Rege LVDOVICO auſpicatò capta, ſub Sereniſſimæ tutela matris quàm pacatiſſima diu totius regni tranquillitas, commodiſſimúſque rerum omnium ſtatus excipiat. Sit optimo atque inuictiſſimo parenti proles aliquando ſimilis. Eam in ſe morum facilitatem, humanitatem, clementiam, fidem, altam atque exaggeratam animi vim ac fortitudinem effingat. Hac vna ſit re diſſimilis, quod vt temporiùs regni gubernaculis impoſitus eſt, ita diutiùs paribus ſecum incrementis augeſcente, conſtitutáque imperij fortuna ac felicitate perfruatur. Eſt hæc cum illo voti huius vtilitas ciuibus omnibus communis: priuata horum altera, nec omnium, ſed bonorum duntaxat, ſed eorum quibus ob virtutem honeſtáque ſtudia maleuolorum eſt furor atque inuidia ſuſtinenda. Horum omnium defenſorem ſe ac propugnatorem profiteatur. Sit vexatæ afflictæque, ſiue hominum errore, ſiue iniquitate temporum, innocentiæ perfugium. Nihil hàc laude amplius regi, aut magnificentius; nulláque re propiùs ad Dei immortalis, cuius effigiem maieſtas illa præfert, ſimilitudinem acceditur. Ita verò haud dubiè matura iam ætate faciet. Nec aliud de ſe vel tanti ſoboles principis; vel tam egregia ac mirifica ingenij indoles; vel ſanctiſſima ſub curâ diligentiá-

que matris educatio; vel enixa totius Chriſtiani orbis vota ſtudiáque repromittunt. Sic demum ſub eius imperio ac prouidentia futurum confido, vt cùm defenſos ornatóſque bonos, coërcitam ac repreſſam malorum vim atque inanes inuidiæ conatus viderint, tum veriùs factis ex ipſis, quàm ex noſtra aut cuiuſquam oratione, intelligant homines, ad virtutem honeſtarúmque diſciplinarum ſtudium aſpirantibus nullam eſſe importunitatem inuidiæ aut maleuolentiæ pertimeſcendam.

DE ADHIBENDA IN Scholis Æmulatione.

ORATIO OCTAVA.

QVÆ fuit hactenus (Auditores) perpetua in his ſcholis, & inueterata ratio, vt ab legitima præmiorum diuiſione ineuntis anni primordia caperentur, multùm ea res viſa eſt, cùm ad auſpicij religionem aliquam, tum ad excitanda mercedis ac gloriæ ſpe, puerorum ſtudia, pertinere. Qui cùm perdiu feriati à litteris, vagatíque eſſent, ac velut ad amœnam aliquam ſtationem quietis & otij adhæſiſſent, tum illos recens hæc ambitionis commotiuncula, quaſi in altum ſecunda quædam aura prouehebat. Nemo enim tam agreſti

ingenio eſſe poteſt; quem non vel concurſus hominum frequens, vel ludorum ac theatri apparatus, vel ſpectaculi totius ſplendor vehementer afficiat. Cùm verò tubarum etiam cantu conſeſſus ille perſonuerit: cùm vox illa præconis exaudiri; cùm citari nominatim quiſque ac prædicari cœperit; cùm productus in concione ac laureatus conſederit; tum non animorum motus ſolùm in intuentibus pueris, ſed vehemens quidam impetus atque ardor exiſtit. Verùm hæc certis ac neceſſariis de cauſis in aliud tranſlata tempus de vſitato illo ac proprio ſunt: quòd & occupationibus ſuis interpellatum idem & exemptum erat, & propter moram aliquorum ac tarditatem, parum omnia commodè inſtrui atque adornari poterant. Quamobrem quo minùs iſta hoc tempore ſuppetunt (Auditores) eo magis elaborandum mihi eſt, vt qui eorum vſus atque fructus eſſe ſolet, is & orationis meæ, & argumenti genere ipſo compenſetur. Atque hoc quidem delectum à me modò, & hodiernæ diſputationi propoſitum confido; in quo tractando eſſe ſumma vis ad incitandum debeat; quódque vnum vt diligentiæ induſtriæque cotem, ſic langoris, & inertiæ, quo nihil eſt ſcholarum inſtitutis capitalius, interitum appellare ſoleo. Illud verò alterum optandum maximè fuit, vt argumenti dignitati ac ponderi par orationis facultas accederet. Quæ ne ipſa quidem fortaſſis magnopere deſiderabitur; ſi & ego, quantulum id cumque eſt, quod ego dicendo

poſſum, totum ad hoc explicaro; & vos non quid veſtra (Viri ornatiſſimi) aut propoſitæ rei grauitas poſtulet; ſed quid pueris noſtris aptum ſit, habitam, vti ſoleo, à me rationem exiſtimetis. In quo feci ſanè non inuitus (Auditores) meum vt vobis conſilium omne, & artificium proderem: quo ego, cùm ex hoc loco dicendum mihi eſt, ſæpè ac libenter vtor; quod adeo vos vbi intellexeritis, non improbaturos eſſe certò ſcio. Ego enim, quo mea mihi imbecillitas nota maximè eſt, ne aut grauioribus in rebus tractandis, aut veſtra cauſſa potiſſimùm explicandis periclitari cogar, receptum mihi ad puerorum noſtrorum captum ac perfugium paraui. Itaque ſiue exiguum & leue eſt id de quo diſputo, ſiue illuſtre quidem eſt, ſed ieiunè à me atque exiliter dicitur, cùm illud excipio, adoleſcentulorum id eſſe gratiâ ſuſceptum, videor à me onus omne cùm exactionis veſtræ, tum iudicij atque offenſionis, depellere.

Sed de orationis huius argumento nihil à me deprecandum, excuſandum à vobis eſt, præter tenuitatem meam atque inopiam. Non enim ij, opinor, eritis, qui æmulationem, cuius ego de opportunitate ad litterarum ſtudia diſſeram, non dicam ab hoc inſtituto ſegregetis (quî enim facere iſtud poteſtis?) ſed primæ ætatis curriculo definiendam putetis. Qui quidem error non opinione forſitan multorum, ſed vſu ipſo ac voluntate percrebuit, vt quibus ea re plurimùm opus eſſet, iis ſolis

adhibenda videretur. Etenim qui aut natu grandiores, aut ſcholæ ordine ſuperiores ſunt, totum hoc illis æmulandi negotium diſplicet; vt vel æmuli nomen ipſum probro atque ignominiæ ducatur. Verùm quàm in vocis huius notione capienda, tam in æſtimanda rei veritate admodum aberrant. Nam ſi hoc æmulari vocant, rixari puerulorum more, ac cum æqualibus ſuis per iurgium clamorémque contendere, leue ac puerile eſſe non nego. Sed eſt alia præter hanc æmulandi ratio matura atque conſtans, acris tamen nihilominus ac vehemens, quæ cohibet ipſa ſeſe, neque indecorè foràs profunditur. Nam altera illa in pueris toleranda ideò, optanda etiam in nonnullis eſt, quòd hæc velut in herbis ſignificet, quanta frugum ingenij vbertas ac copia ſit futura. Genus quidem æmulandi ipſum vtrobique par atque vnum eſt; idémque in animi geſtientis honeſta motione & agitatione cernitur: dum aut æquare nos aliis, vel etiam anteire ſine maleuolentia ſtudemus; aut idipſum cauemus, ne ab illis laude atque induſtria ſuperemur. Quæ ſtudiorum ſanè concertatio tantùm abeſt vt aliena grauitate ac maturitate ſit, nullam vt honeſtatis ſine ea partem conſequi, nullum doctrinarum aut virtutis curſum tenere poſſimus.

Ac mihi paulò ſubtiliùs iſta perſcrutanti, non modò inſita animis atque ingeniis videtur hominum, ſed ex communi totius naturæ conditione ac lege deprompta. Quæ ita ex diſſi-

milibus ac contrariis partibus contexitur, nihil vt eas æquè ac diſſenſio mutua iactatióque foueat; nulla re contrà magis, quàm conſenſione ac pace turbentur. Fingite enim naturæ partes inter ſe conciliatas, ac natiua illa elementorum ſublata diſſidia; poteſt vel momento vno vniuerſitatis moles iſta conſiſtere? Nihil ſit quod ignis acrimoniæ, quod humoris frigori, quod ſubtilitati aëris reſiſtat: nónne languere ſingula ac præcipitare in exitium atque interitum neceſſe eſt? Illi ipſi ventorum incurſus ac procellarum turbines, quibus infeſtum mare atque importunum redditur, dùm illud agitatione fluctuum, quaſi flabello quodam ventilant, minimè putreſcere ſitúque corrumpi patiuntur. Parum eſt de ſtirpium animantiúmque corporibus dicere, cùm ne orbes illi quidem ſempiterni, tametſi incorruptis ex rebus & perpetuis conſtent, ſua quaſi pugna ac dimicatione careant. Quo enim alio nomine appellem cæleſtium globorum inter ſe conuerſiones contrarias? quo item Solis Lunæque circuitus? quo ceterorum ſiderum curſus præſertim errantium? quo progreſſus eorumdem ac regreſſus, & à ſe inuicem, & à Sole diuerſos? Quæ porrò varietates illæ ac diſcrimina, non modò quòd maiora alia aliis ſint, quòd celeriùs moueantur, aut tardiùs, nec iiſdem ſpatiis inſiſtunt; & cùm antecedendo, tum ſubſequendo, tum occultando ſe, tum rurſus aperiendo, mirabiles habent in curſu viciſſitudines: Verùm etiam quòd vi atque efficientia pugnant ipſa ſe-

cum, ac contrariarum ab iis mutationum initia cauſæque ducuntur? Itaque aliud triſte & aſperum, aliud proſperum & ſalutare ſidus eſt. Huius luce refrigerari, & algere terras, alterius incendi atque exuri videmus. Ab hoc ſerenitas ac tranquillitas cæli: ab illo imbres, turbines ac tempeſtates oriuntur. Qua ex diſcordia cùm natura ſe vniuerſi alit ac ſuſtinet, ne torpore ſegni deſidiáque concidat; tum verò ſemina atque ſtirpes animantiúmque corpora ipſa recreantur. Quod igitur mutis & inanimis in rebus naturæ ſine ratione vis aſſequitur, id ingenita hominibus excellentiæ cupiditas facit, certíque honoris & gloriæ ſtimuli, quibus vincere reliquos omnes, vinci autem à nemine ipſi natura duce cupiunt.

Sed quàm repente de eo quod ſponte mihi conſtitueram ſpatio ſum deiectus! Cùm enim omnia me puerorum ad captum accommodare dixerim, neſcio quomodo in eam ſum naturæ contemplationem inductus. Verùm reflectam ab eo curſu orationem meam (Adoleſcentes) & ad vos veſtráque ſtudia, imò etiam oblectamenta demittam. Volo ex eo quod omnium pueri amant maximè, quo afficiuntur, quod ceteris anteponunt, aliquid ad orationis & propoſiti fidem afferre. Si quis enim quid habeat ætas illa dulciſſimum quærat; Ludum, opinor, reſpondebitis omnes. Atqui ex hac ipſa re, quod dixi modò, perſpicietis: Inſitam eſſe naturæ hominum excellentiæ cuiuſdam ac præſtantiæ cupiditatem, ex qua æmu-

landi ardor ille ac generoſus impetus naſcitur. Quis enim veſtrûm eſt, quanquam quid veſtrûm potiùs quàm omnium hominum dico? Quis eſt hominum igitur omnium, qui non in ludendo vincere ſe malit, quàm ab altero victum ſuperatúmque diſcedere? Nec illa tantùm quæſtuoſa ludorum genera dico; ſed ea præſertim, in quibus citra lucrum ingenij verſatur atque induſtriæ contentio. Quapropter neruos omnes & vires ad victoriam adhibent, in quo incredibilis ille ardor leuiſſimis plerunque in rebus cernitur: & tum cùm victi fuerint, demittunt animos; aut cùm vicerint, erigunt contrà, ac lætitiis, vt ille dixit, omnibus incedunt.

Neque verò in hoc adipiſcendarum artium doctrinarúmque negotio, diſpar eſt ac ſui diſſimilis indoles, ſed eò ardentiores inſuper faces ad æmulationem iniiciunt, quo plus dignitatis ac fructus vel opinione, pueri, veſtra continent: Addam, non veſtra id quidem fortaſſe modò, ſed, vt ſpero, etiam aliquando veſtra, peritorum certè omnium opinione ac iudicio, voluptatis. Quæ quoniam ſolidior eſt ac tardior, nec antecedit operæ moleſtiam, ſed ſequitur, altera porrò præceps ac geſtiens ſubinde blanditur animis; acriores hæc quàm illa ſtimulos maiori parti affert hominum. Quocircà adiuuandæ illæ artes oratione noſtra ſunt: vt ſi quas habent obſcuras quibuſdam ac reconditas illecebras, ex accenſo veſtris in mentibus æmulationis ſtudio, velut face qua-

dam, appareant, erroris aut deſidiæ nocte diſcuſſa. Hoc verò eo diligentiùs agendum mihi eſt, quo propemodum vna ea res eſt in ſcholis, quam non extorquere, ſed allicere; non violenter exprimere, ſed impetrare; non vi, minis, aut poteſtate cogere, ſed hortatione, precibus ac blanditiis aggredi oporteat. Nam aſſiduitatem, frequentiam, modeſtiam, in officio diligentiam facilè etiam à nolentibus obtineas. Vt autem æmulentur inuiti, nihilo magis efficies, quàm vt ament aliquid & amplectantur inuiti. Proinde eò reliqua oratio mea comparabitur, vt quantum ad haſce præſertim litteras alacritas æmulandi adferat, intelligant ij qui intelligere iſtud & poſſunt, & cupiunt. Quòd ſi quis in eo forte numero vel ita ſtupidus eſt, nullum vt veræ laudis ſenſum atque honeſtatis capiat; vel tam ſui ac doctrinarum contemptor, vt quid ad eas vtile ſit, non laboret, neuter incitandus, admonendus verò eſt, ad diſcendi officium ac partes aliud quàm conſpectum corporis ac præſentiam requiri. Sed de vobis (Adoleſc.) aut veſtrûm maxima parte ſpero, fore vt ad intimos ſenſus hæc orationis pars adhæreat; nec recuſaturum quemquam, natu grandiorem licèt, vbi quantum valeat illa, didicerit, quin vltrò ſibi aſciſcendam iudicet, neque ſe ætatis excuſatione defendat.

Doceo itaque, quod mihi perfacile eſt, nullam eſſe ſiue præſtantiſſimarum, ſiue noſtrarum artium, aliter quàm æmulatione hominum

expolitam ac perfectam: nec vllo in doctrinæ genere reipſa quenquam, & opinione floruiſſe, cui non cum præſtantiſſimis certamen fuerit de excellentia ac laude ſuſceptum. Ac minimas ſanè artes & illiberales, cuiuſmodi ſunt opificum ac tabernariorum, non inuitus hoc loco prætereo. Neque Heſiodium illud vulgare ac contritum profero; cùm ita dixit: *Et fabrum fabro, & figulum figulo, & artificem artifici inuidere.* In quo & illud ex eodem optimum: Inuidiam æmulationémque dupliciter dici. Eſſe enim vitioſam alteram, quæ riualitati ſimilis ſit: cuius proprium eſt angi alienis bonis, iiſdémque quoad fieri poteſt obſiſtere: alteram in imitatione ac ſolicitudine quadam actuoſa poſitam, ſine vllius damno & incommodo, maxima verò cum ſua vtilitate atque fructu. Atque illud æquè opportunum orationi huic, quod cùm fabrum, vti dixi, & figulum, & mendicum etiam, opinor, adduxiſſet, de cantoribus, hoc eſt, vt ego interpretor, poëtis, ſubiungit. Quod & nos ex vulgari illo dicto poſtremum arripimus; & ille ipſe qui dixit, ſuo exemplo atque experientia doctus adiecit. Nam ſiue aliquot poſt Homerum annis fuit; ſiue eadem ætate vixit, eius æmulatione imitationéque profecit. Vnum illum excipietis Homerum forſitan, quem imitati poſtmodum omnes ſunt; quem autem imitaretur ipſe ob vetuſtatem non habuit. Ego ne eum quidem ipſum eximi patior. Qui præter Orpheum, Muſæum, & antiquiores alios,

certum ſibi ſcriptorem Æliano teſte propoſuit, à quo Troianæ res diu antè fuerant carminibus perſcriptæ. Sed adiungit ad hiſtoriam aliquid, quod etſi mihi parum probabile videtur; ad indicandam tamen æmulationis magnitudinem ſpectat, ſuppreſſum ab Homero illud opus & extinctum Tanquam proprium atque ſuum eſſe belli huius argumentum cuperet; aut furta ſua deprehendi à poſteris nollet; aut illam denique ingenij contentionem atque hominum de ſe iudicia perhorreſceret. Hoc ſi ab Homero vnquam admiſſum; ſi non ad eius inuidiam à maleuolis confictum eſt; factum quidem ipſum iure reprehendo; hominis verò felicitatem admiror, qui quod voluerit iniquo hoc conſilio, tam ex voto perfecerit. Quis enim Poëtarum poſt illum extitit, qui non ad eundem vnum, quaſi ad exemplar reſpexerit, omnéque ſuum ſtudium in eo æmulando atque exprimendo poſuerit? Græcos vt omittam, quorum iſte ingenia potiſſimùm accendit, facilè vt ex noſtris, hoc eſt, Latinis, Virgilij vnius recordemini. Non dico cuius hominis, quanti ac quàm excellentis in eo genere. Sed hoc dico: quantuſcumque is ad Poëticam vim & facultatem fuit, in quo Homerum vel exæquauit ſolus, vel quorumdam iudicio ſuperauit; tantum eſſe diligenti illius æmulatione factum. Piget alios poſt Virgilium Poëtas referre. De quibus tamen, quoniam mea hoc anno ac præcipua prouincia eſt, alius erit dicendi locus, ſi videbitur. De Oratoria vi, &

profeſſione, cuiùs alteri partes mandatæ ſunt, dici hîc potiſſimùm conuenit. Etſi ne dici quidem magnopere conuenit, quòd ignoret nemo, qui illius artis prima elementa didicerit, quantopere cum illa arte ſit æmulationis ratio atque vtilitas coniuncta. Vtilitatem dico coniunctam? Imò eius ipſam ſcientiæ partem aſſerunt plerique; colligatam cum ea, & implicitam eſſe, nec ſeiungi ac diuelli poſſe iudicant. Imitatione quippe nemo eſt, qui non contineri magnam huius diſciplinæ partem exiſtimet. Quid eſt autem aliud æmulatio, niſi aut imitatio quædam acrior, aut cum imitatione cohærens quippiam ac connexum? Vtrumnam igitur eos, qui Rhetoricæ præcepta mandarunt litteris, de harum rerum affinitate aliter, quàm vti experti erant, ſtatuiſſe creditis? Ecce tibi florentiſſimis in ciuitatibus dicendi principes duo, ac Græcæ Latinæque facundiæ velut fontes, & capita. Quos dicam tametſi non omnino, vel à pueris intelligi ſcio. Cogitate igitur quæ fuerit amborum in eloquendo virtus, quæ facultas, quàm præſtans vndequaque vis; quæ porrò amplitudo; quæ fama, quæ auctoritas, cùm viuorum apud ciues ſuos, tum noſtris etiam temporibus mortuorum. Hæc vos, inquam, æſtimate, ſi poteſtis, ac perpendite. Vnà & quæ ſit æmulationis ad eloquentiam vis ac momentum æſtimabitis. Siquidem vna hæc eſt, quæ tam exquiſitam in iis orationis copiam, tam inuſitatum ſplendoris, famæ, nominis decus atque

ornamentorum omnium congeſſit.

Commemorare hoc quidem poſſum (Auditores) quantum alter alteri contulerit propoſitus ad imitandum. Quid, inquam, ex Demoſthene Tullius noſter expreſſerit. Cuius admirandi, prædicandi, æmulandi verò atque imitandi finem nunquam fecit. Poſſum etiam Græcos Demoſthene antiquiores nominare multos, quorum is ſe lectione & imitatione formauit. Sed illud occurrit; nequaquam ſatis ad inſtitutum meum videri poſſe, ſi de veterum tantùm æmulatione dixero, non eam attigero præcipuè, quæ in ſpirantes adhuc & viuos mutua ſit, aut ab altero ſaltem ſuſcepta. Inter quas illud diſcrimen eſt, quòd qui priſcos ac mortuos imitantur, in id incumbunt ferè, vt ad eorum ſe imitationem applicent: viuos æmulari plerumque citra imitationem poſſumus, vt etiam improbare quæ ab iis fiunt, & eorum laudibus obtrectare nonnulli ſoleant. Eſt verò genus hoc æmulationis cumprimis ardens atque efficax; atque in adoleſcentibus potiſſimùm excitandum vitioſitate detracta: vt quos pares habent ætate atque captu, cum iis aſſiduè ingenio, ſcientia diligentiáque certent. Vſurparunt hoc certè ſummi illi, de quibus dixi proximè, Oratores duo. Nam vt à Græco primùm exordiar, quid aliud fuiſſe putatis, ex quo vis tanta orationis, ac robur, quod huic Oratori proprium conceditur, aliquando profluxerit? Aut vnde potiùs collectos illos dicendi impetus, illos neruos atque acu-

leos erectos, afflatum vigorem illum & ardorem, illas orationis faces, illa dicendi fulmina incenſa atque inflammata creditis? Fuit hoc æmulationis totum (Auditores,) luctationis cuiuſdam aſſiduæ ac certaminis fuit. Hæc enim omnia aut haberet nunquam, aut inertiora, languidioráque haberet, ſi non iiſdem temporibus vixiſſet Æſchines, quo cum perpetuò non magis de Republ. quàm de laude ac gloria dimicaret. Quo enim ſtudio? quo ardore? qua obſtinatione ac pertinacia? qua pæne atrocitate in eam certationem incubuerunt? Qui porrò non ex vrbe ſolùm, ſed ex tota Græcia ad eos audiendos concurſus? quæ frequentia? quæ expectatio? qui clamores, & applauſus extiterunt? Dies eſt aliquando Æſchini à Demoſthene dicta, quòd ad Philippum miſſus legationem ementitus eſſet. Cauſsâ ferè ad biennium productâ, vbi interim hoc famâ ac rumore diuulgatum eſt, vniuerſa ſe Athenas Græcia ad audiendum effudit. Diceres eos ad Olympia, & maximam illam quinquennalem ludorum celebritatem veniſſe; Ita ex vrbibus, oppidíſque, imò etiam agris frequentes conuenerant, vt par illud nobiliſſimum velut athletarum ac pugilum in ſtadio commiſſum cernerent. Hîc tum, vti fit, tam ſingulari de ſe hominum iudicio incenſi, tanto ad dicendum conatu inſurrexerunt, vt ceteros facilè Æſchines, præter vnum Demoſthenem, Demoſthenes etiam ipſum ſe viciſſe crederetur. Rectè profectò ac meritò. Violentiores enim ſunt in-

curſus irritatæ ac laceſſitæ eloquentiæ, quàm remiſſæ. Atque vt torrentes & fluuij è montibus lapſi nunquam feruntur rapidiùs, quàm cùm obicibus ac molibus interclusi ſunt: ſic diſertorum & copioſorum hominum vehementior eſt oratio, cùm ei æmulorum atque aduerſariorum impetus obſiſtit.

Facit & temporis breuitas, & argumenti vbertas (Auditores) vt moderandùm ſit orationi meæ; neque in turba Oratorum hærere illam patiar, qui & multi eadem tempeſtate fuerunt, & in diſſimili genere dicendi floruerunt, ſui cuiuſque duces ac principes. Quos omnes cum Demoſthene & Æſchine eodem ferè tempore Græciæ velut prouentus quidam ac fertilitas produxit. Nolo ſi qua vis collecta eſt non tam facultate mea, quàm ipſo orationis curſu, eam diducere ac diſſipare per ſingulos; ſed in Latinæ elegantiæ parentem ac regem vniuerſam atque integram effundere. Nam cuius aut grauiore poſſum vti auctoritate, quàm illius viri, cuius in doctrina omni, & eloquentia non modò vox, ſed nutus ipſe ad faciendam fidem ſufficit? aut à quo illuſtrius exemplum ſumi poteſt, quàm ab eo, qui tam præſtantem auctoritatem ex continuo huius rei vſu ac conſuetudine collegerit? Habuit hic planè ſumma ad eloquentiam omnia; habuit indolem; habuit inſtitutionem; habuit exercitationem; habuit induſtriam; habuit Athenis ac Rhodi doctorum hominum familiaritatem: audiuit in foro multos; dixit ipſe ſæpius. Hæc quanta

præſidia videntur homini etiam mediocriter ad dicendum inſtructo? Sed ſi cum æmulandi ſtudio, quo incredibiliter flagrauit, omnia conferantur, exigua ſunt ac pæne nulla. Nihil enim ſic Diuini in dicendo hominis eloquentiam acuit, aut ad eam, quam admirantur omnes (aſſequutus eſt autem nemo) facultatem perduxit, vt acerrima cum Hortenſio, cum Sulpitio, cum Cotta, cum oratoribus ceteris, ſed Hortenſio maximè, inita de eloquentiæ laude contentio. Huius enim, qui ætate paululum antecedebat, & in foro ac caußis agendis regnabat, æmulatione famáque commotus, omnes explicuit induſtriæ neruos, ac ſe in omnem augendæ facultatis conatum & rationem intendit. Cum hoc igitur aſſiduè in forum ac certamen deſcendere, pugnare in iudiciis, agere eaſdem cum illo cauſas, plerumque contrarias defendere, vincere illum dicendo ſæpe, nonnunquam ab eo ſuperari. Cuiuſmodi quiddam Ciceroni aliquando contigiſſe apud Pedianum Aſconium legi. Fortè in eâdem cum Hortenſio cauſsâ primæ huic dicendi partes propter ætatem obtigerant. Dixit maxima omnium admiratione, Ciceronis etiam ipſius. Quæ res tam acres ei ſtimulos adiecit, vt in meditando lucubrandóque totam noctem traduxerit. Sed ea vigilia fractus ac debilitatus cùm poſtridie dixiſſet, longè eſt habitus inferior. At quid acciderit denique, quod ipſum ad æmulandi vim admirabilem pertinet, quæſo (Adoleſcentes) vt facitis, diligenter attendite.

Cùm enim Hortenſius initio arderet dicendi cupiditate, ſic vt nullum diem eſſe pateretur, quo non aut in foro publicè, aut domi priuatim, ſæpiſſimè autem eodem die & domi, & in foro ſe ad id exerceret; paulatim de ſummo illo ſuo ſtudio remiſit. Credo quòd iam illum contentionis huius atque exercitationis tædium cepiſſet. Aut certè cùm neminem videret eſſe ſecum conferendum, deinceps in otio ac ceſſatione beatiùs vellet remiſſiúſque viuere. Sed vbi adoleſcere Ciceronem eandem ad gloriam vidit, reuocare ſe priſtinum ad laborem atque induſtriam cœpit, ne eo, quem adeptus fuerat, eloquentiæ principatu tanquam veteri poſſeſſione pelleretur.

Inuitis facio, Adoleſcentes, vt ab iucunda hac mihi, vtili vobis Poëtarum & Oratorum mentione diſcedam. Inuitus quidem & eo magis, quo infinitos à me præteriri video, cùm Oratores ac Poëtas, tum Grammaticos, Hiſtoricos, ac reliquorum generum ſcriptores, vt minimè cum illis quos dixi comparandos, ſic & priſcâ & auorum noſtrorum memoriâ, non noſtrâ tantùm celeberrimos. Atque vt intelligatis, quanta ſit argumenti huius copia, ac ſi complecti vniuerſa vellem, quàm longè progredi ſit neceſſe: Poſſem ſi mihi per tempus liceret, tot è Græcia Comicos ac Tragicos omittere? Poſſem ſilere quot ſingulis ætatibus varietates ingeniorum, & Scriptorum, æmulorum ille concurſus attulerit? Diſſimularem Latinos poſt Ciceronem ac Virgilium vtriuſ-

que artis oppreſſa iam Republ. clariſſimos? Nihil de Chriſtianis Patribus, Latinis item ac Græcis attingerem? Præterirem quantum in his litteris Baſilio, Nazianzeno, Niceno, Chryſoſtomo ſecum & cum exteris certamen fuerit? Atque vt hæc ad noſtra tempora venirem, quomodo me putatis in ea oratione iactarem, cùm auctas eo pacto atque illuſtratas ferè omnes artes ac doctrinas oſtenderem? Quid cùm Criticorum altercationes ac pugnas referrem, ingenioſorum hominum, ac plerumqne doctiſſimorum?

Sed his omnibus ex hac diſputatione ſublatis, dandum modò aliquid Philoſophis, ac Theologis, & illud perbreue. Non enim incitandi mihi ſunt: ſed vos ceteri, ad quos iſte potiſſimùm ſermo conuenit, propria illorum oratione inflammandi magis; vt ad minores veſtras diſciplinas ea petenda præſidia putetis, à quibus tanto altiores profeciſſe, ac pendere audietis. Non eſt mihi verendum (Auditores) ne nimis multa æmulationi videar doctrinis in veſtris tribuere. Hoc mihi paucis puerorum noſtrorum gratia, veſtrâ enim quid interſit, non video; ſed illorum qui ignari fortè ſunt cauſſa demonſtrandum eſt; ab iis creuiſſe principiis Philoſophiam, ac Theologiam, iiſdémque quibus propagata eſt, conſeruari oportere.

De Philoſophia primùm dico, quæ à Platone & Ariſtotele ferè nata omnis, aut, vt modeſtiùs dicam, aucta & amplificata, primùm

illos ipſos mutua æmulatione de ſe bene meritos exercuit. De Diſcipulo ſanè ferunt; illum viuénti ac florenti adhuc Præceptori Scholam oppoſuiſſe ſuam. Quod ſi ille vnquam fecit; (feciſſe enim plerique negant) quonam animo fecerit interpretari non libet. Nihil atrocius volo de homine ſapientiſſimo, ac ſummo Philoſopho ſuſpicari. Purgatum eum ab omni calumnia, ac liberatum eſſe patior. Iis etiam aſſentior, qui totum hoc de ſchola fictum eſſe, ac commentitium pugnant. Quòd autem vel à mortui auctoritate diſceſſit; quòd illius doctrinam repudiauit; quòd nouam familiam inſtituit, ne hoc quidem ad tanti viri contumeliam, & inuidiam traho: æmulationem verò quantam habeat, ſatis ipſa per ſe res declarat. Verùm eandem cum æqualibus & condiſcipulis ſuis multo deinceps honeſtiùs tenuit: à quibus ſectarum & factionum ſunt nata diuortia. Quæ poſteaquam ſopitæ omnes, præter Peripateticam vnam, & extinctæ ſunt, ſciſſa eſt ea ipſa quæ ſuperfuit, & in plures partes opinionéſque diſtracta.

Grauior eſt ac conſtantior longè diuinarum rerum cognitio; ſed nec ipſa æmulationis expers, eáque præſertim quæ quia in ſcholis methodo ac ratione traditur *Scholaſtica* vulgò nominatur. In quo ego ridiculus atque importunus videbor, ſi, quod nullus omnium ignorat, admonere ac complecti voluero. Veſtra mihi, Theologi, experientia conſulenda potiùs. Tametſi quid à vobis poſtulare iſtud attinet, quod

per nos ipſis veſtris in concertationibus intueri quotidie poſſumus? Vos enim cùm iactari in ſcholis vehementiùs; cùm ardere contentione diſputandi; cùm efferueſcere quodam quaſi æſtu; cùm vultu ipſo, ac toto corpore inflammari conſpicimus; de æmulatione vltrà à vobis quæremus, quam, ſi nobis quid eſſet, nondum conſtaret, diſcere ex hoc vno potuiſſemus? Quid hæ litigioſæ contentiones ac controuerſiæ? Quid obſcuri argutiarum ſinus? Quid receſſus ac latebræ? Quid probabiles vtramque in partem rationes? Quid argumentationum genus limatum ac ſubtile? Potuerunt hæc vel ſine ingenti æmulatione reperiri omnia, vel reperta vſurpari à vobis poſſunt: audiri verò à nobis ſine hoc, quod dixi, de æmulatione veſtra iudicio, vnquam potuerunt? Quid illæ poſtremò partium diſſenſiones ac diſciplinarum diſſidia, quæ inter vos non minùs quàm Philoſophos vigent; cùm alij, D. Thomæ; alij, Scoti; alij, Ochami, alterius alij ſectam & inſtitutionem perſequi malunt; ab iiſque, quorum ſe ad dogma & auctoritatem aggregant, nomen etiam ſibi & appellationem imponunt? Ecce altera Theologiæ forma, quæ in tuendis religionis arcanis, & coarguendis Hæreticis laborat, parúmne apertè fœtum ſe æmulationis eſſe quendam; ab eadem ali ſe & educari ſignificat?

Redeo ad vos, (Adoleſcentes) neque enim abeſſe longiùs poſſum. Eſtne vt illud vel minùs honorificum vobis, vel non magnopere reti-

nendum exiſtimetis, cuius tam præſtantes diſciplinæ alumnas ſe ac propemodum partus eſſe profitentur? Eſtne, inquam, vt honeſtiſſimarum contentionum certamina non probetis, à quibus Philoſophia, Theologia, artes omnes progreſſæ, veſtræ adeò propagatæ ac ſtabilitæ fuerunt? Non illud opinor, faciatis. Veſtra enim hæc non minùs quàm illorum: ac neſcio an minùs illorum quàm veſtra præſidia ſunt, Adoleſcentes. Itaque publica illa præmia, ac certamina, quæ tota ex ea re proficiſcuntur, ſolis his humanitatis ſtudiis & à maioribus propoſita ſunt, & ætate noſtra conſtituta. Etenim quantum memoria mea vetera recordari poteſt, neque Philoſophi, neque Mathematici vnquam, neque vllius alterius artis periti ad eam periclitationem ingenij vocati ſunt, aut, vt ceteros vincerent, præmiis à regibus & ciuitatibus affecti. Noſtris verò ex litteris primùm Athenis annua Tragicis ac Comicis decreta ſunt; cùm fabulas ſinguli quatuor docerent, quam Tetralogiam à numero appellare conſueuerant. Quid Alexandriæ in Ægypto, vbi à Philadelpho poſt inſigne illud Muſæum cum paris* ſplendoris Bibliotheca conditum, ſolemnia quotannis indicta certamina ſunt; quibus Poëtæ, Oratores, atque eiuſdemmodi Scriptores de præmio coram iuratis iudicibus contenderent? Quibus etiam Ludis egregium quiddam accidiſſe aliquando fertur, atque ad declarandum contentionis illius ardorem, ac veſtram, optimi Adoleſcentes, incitandam induſtriam

duſtriam minimè hoc loco prætereundum. Cùm enim Ptolomæus Muſis, vti dixi, & Apollini ludos dicaſſet; iiſque ingentia præmia propoſuiſſet qui ceteros ſcribendo ſuperaſſent; ad huius certaminis arbitrium ſex ex omni numero ſapientiſſimis delectis, cùm ſeptimus quæreretur, renunciatum regi dicitur, Ariſtophanem quendam eſſe grammaticum, acerrimi ingenij, indefeſſi ſtudij, infinitæ lectionis virum, qui veteres omnes quotidie libros ex ordine perlegeret. Quo in cœtum iudicum allecto, cùm præſente rege primi poëtæ ſcripta ſua recitarent; atque, vti fit, quos maximè probaret multitudo clamore ſignificaret; ceteris eum qui populo maximè placuiſſet pronuntiantibus, rogatus ſententiam Ariſtophanes eum pronunciari primum iuſſit, qui minimè populo placuiſſet. Admirante rege, frementibus vniuerſis, adiecit; ſcripta ab iudicibus, non furta probari oportere; vnum illum quàm peſſima, tam non aliena recitaſſe; reliquos aliena ſuppoſuiſſe pro ſuis. Tum memoriâ fretus infinita volumina protulit, quibus palam cum aliorum ſcriptis collatis, quid ex quoque deſumptum eſſet, indicauit. Ob id damnatis, dimiſſiſque cum ignominiâ plagiariis, ampliſſimis ille ab rege muneribus affectus, bibliothecæ inſuper præpoſitus eſt. An verò in patria noſtra, in Gallia hoſpites adeò eritis, vt quid Lugduni celeberrima in vrbe actum ſit, nondum audieritis? Quid enim ara illa à communi Gallia erecta nobilius? Aut vbi terrarum

omnium, tanta cum æmulatione, poëtarum ac rhetorum commiſſa certamina fuiſſe legimus? Quantus ad illam dicentium aut recitantium timor! quantus pallor! Diceres ad pœnam ac ſupplicium depromptos; adeò vt ea res ad prouerbium quoque ſermonis conſuetudine peruenerit. Cuius priſtini moris veſtigia, quod ad ſcriptorum commiſſionem pertinet, etiam hodie quarundam ciuitatum inſtitutis retenta ſunt. Noſtris verò in ſcholis, id quod initio orationis attigi, eo quo experti ſumus fructu, quo vidiſtis apparatu ac pompa, celebrantur.

Quæ quidem conſuetudo illuſtre ac præclarum de æmulatione iudicium continet (Adoleſcentes.) Cui vos eo accommodari faciliùs debetis, quo id intellexiſtis hactenus quantopere cum ſæculorum omnium iudicio, cum præſtantiſſ. virorum auctoritate, cum litterarum veſtrarum ratione, cum naturæ totius approbatione conſentiat. Non ero in vobis commouendis ac cohortandis vehementior: ſatis ea quæ dixi, ſtrenuis atque induſtriis adoleſcentibus eſſe poſſunt; ignauos, aut, quod nequius eſt, contemptores litterarum ac ſui, ne plura quidem allicere aut permouere poſſunt. Ergo & his, & illis poſtremò (iam enim ad exitum ac portum reſpicimus) hoc inquam poſtremum adiiciam: magno omnibus ad æmulandi incitamentum vſui, præceptorum exemplum futurum. Qui inter ſe ipſos non illam quidem doctrinæ, ac ſcientiæ (facilè enim ſibi inuicem

cedunt) ſed amoris in ſuos, laboris, diligentiæ, alacritatis, officiorum denique omnium æmulationem inſtituent. Hoc cùm ceteros omnes facturos ſcio; tum de meipſo vobis, Rhetoricæ Auditores, polliceor : neque vt de laboris magnitudine deonerari aliquid, atque in alterum traiici ſum paſſus, ſic de voluntate erga vos omnes, ac ſtudio, detrahi eſſe paſſurum? Date hanc operam, Adoleſcentes, vt quam contentionem habent præceptores inter ſe ipſi, eandem vobiſcum excitati à vobis prouocatíque ſuſcipiant.

DE NIMIA IN SCHOLASTICIS libertate coërcenda.

ORATIO NONA.

NON eſſem profitendis vllis omnino litteris idoneus (Auditores ornatiſſimi) ſi quod in communi hominum iudicio poſitum eſt, non viderem, quàm difficile mihi onus impoſitum ſit publicè in hac vrbe Academiáque docendi. Quod etſi eſt per ſeſe propter vtriuſque ſplendorem operoſum & arduum; tamen hoc aditu, & inſtauratione ſcholarum multo & laborioſius eſt, & maiorem in modum pertimeſco. Video enim orationi huic intereſſe

neminem; ac ne eorum quidem qui abſunt, eſſe vllum ſuſpicor; qui mediocre aliquid de his initiis ac vulgare cogitet; qui non infinitam quandam ſpem expectationémque præceperit: maiorem certè quàm non modò mea, quæ nulla propemodum eſt, ſed nec alterius poſſit induſtria ſuſtinere. Quod ſi id vel ſponte mea inductus aggrederer, vel priuatis ad illud viribus nitendum arbitrarer; equidem animo commouerer (Auditores) vehementérque deſperarem. Nunc cùm & eorum, quorum mihi auctoritas ſanctiſſima eſſe debet, iuſſu hortatúque ſuſceperim: & eiuſdem, cuius illi nutu gubernantur, opem numinis affuturam confidam; etſi metu omni ac ſolicitudine carere penitus non poſſum, fiduciæ tamen ea ex re plurimùm acceſſiſſe ſentio. Ac profectò ſi quis ea quæ ante paucos hoſce dies, tam incredibiliter, tàm præter opinionem omnium geſta ſunt, exiſtimare voluerit; ſi Chriſtianiſſimi Principis tam prolixum in nos ac beneficum animum; ſi eiuſdem non in ſalute modò tuenda noſtra, ſed in recuperanda ſalubritate ardens & incenſum ſtudium; ſi publicum de nobis ordinum omnium grauiſſimúmque iudicium; ſi auguſtiſſimi conſilij, ſi ſenatus ampliſſimi in ornanda ſocietate, ſcholíſque reſtituendis conſenſionem diligenter attenderit: nihil erit quod ad Diuinam in nos curam prouidentiámque ſignificandam certius atque illuſtrius teſtimonium requirat. Neque verò dubitare debeo, quin eadem illa,

quæ totum eſt quodammodo complexa corpus, ad priuati cuiuſque corroborandam ſolertiam Dei benignitas redundet.

Hac ego ſpe confirmatus (Viri ornatiſſimi) ſimul æquitate veſtra, & humanitate fretus, quam inuſitata hoc tempore frequentia, & ad audiendum alacritas promittit; circumſcripta ſpecie omni atque pompa ad meum illico me munus penſúmque conuertam. Dabitis verò hanc mihi veniam; ſi, contrà quàm fortaſſis hoc tempore fieri ſolet, paululum à veſtra grauitate ac dignitate ſeiungam orationem meam, méque ad auditorum meorum captum ac rationes demittam. Cùm meas perpetuò illorum ad commodum cogitationes ac conſilia refero; tum ne hunc quidem locum vacare mihi ab eorum vtilitate patior. Simul ne quis inueterato iam errore putet, primum hunc ad docendum ingreſſum, leuem ac remiſſum eſſe, non actuoſum ac negotioſum, debere: & ingenij ac facultatis oſtenſionem potiùs, quàm laborioſi muneris ſpecimen videri.

Ergo illud hodierna nobis oratione demonſtrandum eſt: ei qui ſe doctrinarum ſtudiis fingi ac perpoliri cupiat; peræquè nullam rem, ac nimiam libertatem & licentiam obeſſe; & eam ipſam propterea diſciplina quadam ac voluntaria ſeruitute deuinciri adſtringíque oportere. Hoc ego præcipuè vobis (Adoleſcentes! vos enim deinceps oratio noſtra reſpiciet) hoc, inquam, proponendum vobis ipſo .ſcholarum, ſic tanquam caſtrorum, introitu decreui. Nam

vt veteres illos imperatores accepimus antè copias luſtraſſe ſuas, quàm ad bellum certaménque producerent; ſic ego certa adhibebo piacula auribus veſtris ac mentibus; quibus vos nouum ad militiæ ſacramentum procurata labe omni & macula comparetis. Ac ſi inſitam illam quorundam animis de falſa libertate opinionem extorquere potuero, nihil ampliùs confido fore, quo diuinitus incitatus ad eas litteras conatus veſter atque impetus retardetur. Etenim ſi rectè iudicare ipſi volueritis, facilè id quod oratione mea pugnare volo, ſtatuetis; ab hac vna libertatis illecebra totum illud in puerorum ingeniis eſſe mali conflatum, quod ad publicam erupiſſe ſcholarum calamitatem & perniciem dolemus. Sed ea primùm conſideranda nonnullorum querela nobis eſt, quam tum de iis audimus, cùm ad ludum ac magiſtrum deducti ſunt. Nimirum datos ſe miſerrimam in ſeruitutem, & in quoddam velut ergaſtulum coniectos: carere ſe ætatis fructu: viuendum deinceps alterius ad nutum, atque arbitrium: non poſſe quæ velint, ac quemadmodum velint, agere. Illud verò profectò nequaquam ferendum, malo ſe adigi etiam inuitos, vt ea quæ nolint, quæ plerumque conſequi nequeant, ingenio ſuo ac memoria comprehendant. Quorum etiam, ne qua cauillandi aut ſubterfugiendi ſpes ſit, à moleſtis exactoribus ſubinde ratio poſtuletur. Quas porrò artes ac doctrinas eſſe tanti, vt eas cum illis acerbitatibus, atque eo corporis animi-

quę cruciatu commutandas exiſtiment ? Ita fit vt plerique communi hac diſcendi conditione deterriti, ab litterarum ſe ſtudio ſegregent, ſi poſſint: ſi non poſſint, mœrentes ibidem, ac repugnantes iaceant, & ſine vllo fructu, perdiu in ingrato illo gymnaſiorum puluere conflictentur. Iam eorum aliqui, qui externa ac ſolutiore diſciplina reguntur, vbi aliquot horas ad præceptoris aſpectum ſeſe in ſcholis compoſuerint, ſimulatque domum regreſſi liberiore cælo frui cœperint, vagi & effuſi ſic tanquam ſoluti vinculis exultant, ac ſe intermiſſæ libertatis dulcedine perfundunt. Qui verò interiore ac domeſtica continentur, perinde vt auiculæ incluſæ ſeptis & caueis, dum curſare foris vltro citróque ſocios vident, geſtiunt ſcilicet ac ſibi idem non licere iniquo animo ferunt.

Satin' vobis videor (Adoleſcentes) occultos animi veſtri motus ac reconditos attigiſſe dicendo ? Satin' aditum inueniſſe ad intimos veſtros ſenſus atque conſilia ? Veſter ille me aſpectus atque oculorum conicctus admonet, non inanem hanc fuiſſe orationis partem, atque ad plurimorum recordationem ac conſcientiam adhæſiſſe. Qui ſi mihi ad ea quæ deinceps dicam, aures ſuas & animos accommodarint, facilè vel ſe ipſi ſuſtentabunt in his rerum aſperitatibus, vel alios, quos eâdem tentari moleſtiâ didicerint, ad ea non modò fortiter ferenda, quæ cum dolore ſuſtinent, ſed aſciſcenda etiam atque amanda, pellicient.

Nec de genere ipſo libertatis ſubtiliora illa atque exquiſitiora profero: quibus philoſophorum ſcholæ diſputationéſque perſonant. Non illud, inquam, perſequor: quid ſit in quo libertas, poteſtáſque illa vt velis viuendi, poſita ſit. Doceant hoc illi ſuos, qui id facere meliùs, & apud idoneos poſſunt: Neminem ita viuere, niſi qui recta ſequitur, qui gaudet officio, qui legibus non propter metum paret, ſed eas ſequitur atque colit, quia id ſalutare maximè eſſe iudicat. Addant ſi lubet omnes leues, omnes cupidos, omnes denique improbos eſſe ſeruos. Hæc & huius generis alia, quæ magnificè ſanè ac ſplendidè dici poſſunt, quia remotiora ſunt ab vſu ſenſúque communi, minùs, opinor, adoleſcentulorum animos commouere ſolent. Quærenda nobis faciliora paulò ac procliuiora quædam: neque de libertáte ipſa magnopere repugnandum, vt quæ ei nomini imperitè fortaſſis, ſed tamen vulgò ſubiecta notio eſt, ex eorum iudicio captúque conſtituatur. Do illis hoc in doctrinarum ac litterarum curſu deceſſionem aliquam de ſumma libertate fieri, ac breui quadam imminutione capitis in ſeruitutem tranſcribi illam quidem, ſed vel voluntariam, vel honeſtam, addo etiam neceſſariam. Quòd ſi duo hæc poſtrema in ea re concurrere euidenter declararo; ſi non modò honeſtam, verùm etiam neceſſitate quadam impoſitam eſſe hanc ſeruitutem monſtrauero; de voluntate tandem recuſare quis poterit? Quis non iſtud ipſum vel ſolatium arripiat

ægritudinis ſuæ, vel inuitamentum etiam conſtantiæ atque firmitatis?

Atqui ita ſe res habet (Adoleſcentes) eáque eſt eximiis in rebus omnibus aſſequendis propoſita lex atque conditio. Tametſi quid eximias ac præſtantes dicere attinet? Eſt enim id vbique, & in minimis adeò ac contemnendis artibus verum; vt ad nullam poſſit penitus ſine ſeruitute aliqua perueniri. Quæ cùm aut nunquam, aut perrarò ſine magiſtro ac doctore condiſci queant, neceſſe eſt profectò ſemper intelligi quempiam, cuius in ea re præſcriptis ſeruiant, mandatis obtemperent, iudicio ac voluntati morem gerant. Quis nauticarum rerum ſcientiam aliter adeptus eſt, quàm poſt diuturnum non tam maris vſum ac tempeſtatum experientiam, quàm obtemperationem imperio alterius ac ductui? Quis architectandi fabricandíque ſolertiam? quis ſculpendi, aut pingendi potuit, qui non obſtrictum ſe alteri ac ſubiectum eſſe vellet, perdiſcere? Quod ne adeò quidem minuti illi artifices ignorârunt; qui in arte ea quam profiterentur, exercenda, ita iuris eſſe ſui voluerunt, vt regum ac principum iudicio & auctoritati non cederent, contráque illorum animaduerſionem, ingenij ſui ac ſolertiæ fiducia pugnarent. Ita Alexandro, vt opinor, regi, cùm ſuam de tabella quadam ſententiam curioſiùs paulò diceret, reſtitiſſe ob os celeberrimus pictor dicitur. Nec minori audacia citharœdus ille, qui coram alio rege fidibus canens, & ab eo-

dem pulſare alteram quàm oportere ſciret admonitus, memorabili reſponſo nimiam principis diligentiam repreſſit. Et, abſit hoc (inquit) ab rege, vt quid in hoc artificio deceat, meliùs artifice ipſo cognoſcat. Atque hanc in contemnendis opificibus libertatem, vtpote ex artis induſtriæque conſcientia profectam, maximi quique principes benignè ac comiter tulerunt: non tuliſſe, poëtarum ſiue fabulis, ſiue hiſtoriis, Hercules ille dicitur, qui cùm ab Lino præceptore cithara canere diſceret, neruóſque paulò abſurdiùs atque ineptiùs contrectaret, ob id irriſus ac ſeueriùs obiurgatus, illiſâ capiti citharâ caput importuni monitoris comminuit. Sed tractandæ videlicet clauæ feríſque conficiendis, quàm fidibus, aptiores erant illi digiti; & hoc contumacia ferociáque ſua conſecutus eſt, vt muſicus nunquam, aut cithariſtes eſſe potuerit. Iam ſi exiguis ac viliſſimis in ſtudiis nemini iure vti ſuo aut libertate licet: ſi nonnulla eorum ſectatoribus ingenij iudiciíque ſubeunda ſeruitus eſt: mirabimur idem in hac artium præſtantiſſimarum & virtutum diſciplina poſtulari? Quarum quidem amplitudo ac dignitas omnibus; difficultas nota vobis potiſſimùm eſt, qui earum curſum atque iter eſtis ingreſſi. Ego neque hanc, neque illam oratione perſequor mea; quòd ſuperuacuum id, atque vt maniſeſtiſſima in re, pæne etiam putidum ac puerile iudicem. Ac ſi ſuperanda ea ſolùm difficultas & aſperitas eſſet, quæ eſt innata rebus

ipſis, ac cum earum natura & conditione coniuncta; tamen vtendum ducis arbitratu, & obtemperandum foret; nec ad ſuam cuique libidinem accommodari ac fingi liceret. Sed ineſt præterea inſita hominum mentibus ac domeſtica difficultas, præſertim iuuenum; quam cùm ad reliquarum honeſtarum artium, tum ad virtutis ac probitatis ſtudium afferunt ſecum. Hæc partim ex naturæ deprauatione ac vitio excitata: partim corruptela malæ conſuetudinis corroborata; partim errorum atque opinionum prauitate aucta, frangit animos ac debilitat, atque in medio plerumque curſu, ſic quaſi iniecta manu, optimis à conſiliis atque inſtitutis reflectit. Peruincenda igitur illa eſt ac ſalutari aliquo remedio curanda penitus, vel mitiganda ſaltem, fouenda certè ac confirmanda non erit. Quænam verò ratio extenuandæ illius, aut augendæ contrà ac cumulandæ eſſe poteſt?

Hîc ego vos (Adoleſcentes) etſi perattentè audiri me à vobis video, rogo vehementer atque obſecro, vt ad illud audiendi ſtudium, ſi fieri poteſt, etiam aliquid adiicere velitis. Verſamur enim iam in ſumma diſputationis totius, & cardine; ídque agimus, vt omnis conditionis huius moleſtia cùm æquiſſimis veſtris, tum iniquis atque inuitis diſſimilium veſtri puerorum animis euellatur. Etenim quàm ſpiſſum ac laborioſum totum hoc litterarum ac virtutis negotium ſit, probè omnes animaduertitis. Nec illud agitur modò, vt ad initi ſemel ac re-

cepti ſtudij amorem vos ac conſtantiam cohortor. Noui cupiditatem maioris partis veſtrûm, & alacritatem his in litteris: video incenſos omnes, & inflammatos per ſeſe deſiderio nobiliſſimarum artium. Quare totum illud omitto prædicandi inſtituti huius, & adhortandi genus. Hoc præcipuè vrgendum eſt; quemadmodum eripi iiſdem difficultas omnis, aut ſubleuari debeat. Meliúſne id ſolutâ diſciplinâ ac licentiâ fieri poſſit; an, vt modò eſt, amputatâ, & repreſſâ. Quis igitur non videt, idem quod in ſanandis morbis medici faciunt, eſſe nobis in hac animorum ægritudine faciendum? Vt perinde atque illi ſolent curandorum corporum contrariis ex rebus arceſſere ac procurare remedia: ſic immodicæ vagæque libertati, qua moleſtia illa ac difficultas alitur, ſeueræ & aſtrictæ diſciplinæ moderationem adhibeamus. Credo enim, fortè negare quiſpiam poteſt, vel eſſe morbum quendam animorum, iſtiuſmodi; vel ex eo deprauatæ ac corruptæ licentiæ fonte profluere? Et erit tam abſurdus aliquis, qui quem aut languentem otio, aut petulantia diſſolutum, aut colliquefactum deliciis, aut libidine inflammatum, aut impudentem ac contumacem, aut, quod tolerabilius ac communius eſt, omnis & auctoritatis impatientem, & laboris viderit, ægrotare hunc animum non putet, ac grauiſſimo periculoſiſſimóque morbo detineri? Aut ſi ita perſuadere ſibi poterit; aliunde exarſiſſe has peſtes, quàm iis quibus dixi libertatis facibus, exiſtimabit? Sed ſit

aliquis vel tam impudens, qui hæc inficiari velit; vel tam ſtolidè vecors, qui de mali origine huius adhuc dubitet; num tandem communem naturæ vocem non audiet; atque vt ſtirpibus ac beſtiis ſtupidior ſit, ignorabit quid in vtriſque vſus ac quotidiana periclitatio commonſtret? Eſt enim quædam in vtroque genere libertas; brutis quidem certè animantibus; ſed & in illis appelletur ita ſanè, tum cùm incultæ ac relictæ ſunt, nec putatione vlla aut cultura coërcentur. Quænam verò earum eſt, quæ ſi permiſſa ſibi fuerit, non ſilueſcat inani fruticatione ac ſterili, & in omnes ſe partes nimia profundat? Agri ipſi, quamuis natura opimi ac perboni, ſine coloni induſtria ac diligentiâ fructuoſi eſſe nequeunt; ſed virgultis obſeruntur ac rubis, repleturis (vt ait Plinius) omnia, niſi cultura reſiſteret; prorſus vt videri poſſint homines terræ cauſa procreati. Quinetiam quo quæque arborum feracior atque vtilior eſt, eò diligentiore cura depaſcenda illius vbertas eſt. Id quod in vitibus natura ipſa nos docuit: quæ multiplici opera ac colendi reſecandíque aſſiduitate ægrè continentur; vt ne ſuccum omnem, & humorem in pampinorum ac frondium laſciuiam abſumant. Nam de brutis animantibus, ac beſtiis commonere, vereor vt nimis contritum ac vulgare ſit. In quibus, vt generatim vniuerſéque dicam, quantas ad vſum hominum & opportunitatem vires habeat diſciplina quædam illarum, & inſtitutio, pleriſque ex

artibus intelligitur, præclariſſimis ac neceſſariis. Quis enim ex bobus, equis, canibus, auibus, iumentis omnibus, ad agriculturam, venationem, bellicam rem, ceteráſque vitæ neceſſitates fructus ac commoditas percipi poſſet, ſi errare paſſim, ac naturæ vti libertate ſinerentur? ſi non domita ac condocefacta priùs eſſent ad hominum famulatum atque obſequium? Quid feras ac belluas commemorem; quæ quandiu in ſyluis ſolutæ ac liberæ vagantur, immanitate ſua hominum generi infeſtiſſimæ ſunt: eædem vbi clauſæ fuerint, atque fame, inediâ, ac cruciatu manſuefactæ, illorum partim vtilitati, partim oblectationi ac voluptati ſeruiunt? An verò libertate ac neglectu corrumpi ſtirpes; efferari belluas; nullam ad vitæ partem vtiles eſſe beſtias; contráque fingi diſciplina ac ſeruitute quadam exiſtimabimus: hominum ac puerorum potiſſimùm, nihil vtramque in partem intereſſe eadem illa putabimus? Puerorum dixi potiſſimùm. Nam & in illis euenire iſtud ipſum cernimus; vt quæ adulta iam confirmatáque corroborauerint ſeſe, flecti in contrarium ac reuocari ampliùs non poſſint. Quamobrem formanda ætas illa maximè, communi ſapientum decreto, ac nonnullis ſeueritatis vinculis retinenda; cóque diligentiùs, quàm illa quæ dixi: quòd iis vtcunque indulſeris, naturæ ſequuntur impetum, nec præſcriptos ab ea fines egrediuntur; in hominum verò genere, ſi quibus frænos remiſeris, ij non modò ceteris deteriores, ſed &

belluis omnibus ferociores ac tetriores euadunt.

Atque hæc quæ ſunt à pecudibus ac ſtirpibus argumenta quæſita, ad earum ſimiles, hoc eſt, ſtupidos atque impolitos præcipuè pertinent. Mihi apud vos (lectiſſimi Adoleſcentes) alio genere vtendum orationis; alia exempla commemoranda ſunt. Quæ erunt, niſi fallor, ad id quod volumus, aptiſſima; ſi partim experimentis plurimorum; partim communi nobiliſſimarum gentium ac nationum ſenſu; partim grauiſſimorum hominum auctoritate contineantur. Nam neque quod conſtanti horum omnium conſenſione approbatum fuerit, poteſt eſſe non rectiſſimum: nec deprecari ac defugere, quod eiuſmodi eſſe didicerint, boni adoleſcentes debent.

Omnium itaque populorum, quorum quidem poſſumus meminiſſe, duo mihi præ ceteris pueros ſuos inſtituiſſe pulcherrimè videntur, Perſæ ac Lacedæmonij, quòd vel ſolos, vel cum paucis inſigniter ali publicè atque erudiri liberos, non priuatim ad cuiuſque voluntatem imbui atque informari voluerunt. Iam verò quæ qualíſque puerilis apud eos diſciplinæ ratio fuit? De Perſis primùm dico; quorum huius generis adminiſtrationem omnem eleganter Xenophon in his commentariis expoſuit, quos de Cyri inſtitutione ſcripſit. Vbi quàm ſeuerè! quàm non indulgenter ac molliter! quàm hoc ipſum quod quærimus, arctè ac reſtrictè habitos fuiſſe legimus, non

pueros ſolùm, ſed & natu grandiores ac iuuenes!

Etenim ſic prima ætate omnes aſſueuerant, vt non domi, inter complexus parentum atque oſcula, in deliciis ac voluptatibus degerent; ſed eodem omnes in loco, ſub doctorum ac magiſtrorum cura, parcè admodum ac ſobriè victitarent. Ita porrò accepimus: ad ſeptimum vſque decimum annum, incluſos liberali, vt quidem vocabant, foro totos egiſſe dies; nec niſi ad veſperam, paternam in domum dimiſſos: cùm bene mane indidem communem ad ludum & ſcholam veniſſent. Deinceps verò vſque ad virilem ætatem pernoctaſſe in contuberniis illis ferunt; nec egrediendi ampliùs, aut reuiſendæ domus copiam fuiſſe factam. Cùm interim eorum illic vita, aſſidua eſſet patientiæ, laboris, continentiæ, frugalitatis exercitatio: obſeruantiæ ſanè quidem, atque obedientiæ vel præcipuè. Victus verò ac cibus vniuerſorum pariter non lautus atque exquiſitus, ſed aridus ac pertenuis. Nam ad panem nemo aliud quicquam adhibebat, præter naſturtium; ſitim nulla alia quàm frigidæ potione ſedabat. Neque hoc tamen antea facere licebat, quàm iaculando, equitando, currendo, venando, ſiccatum & exhauſtum corpuſculum ad tam pulchras ac magnificas epulas attuliſſent. Verùm inhumani illi forſitan erant; vtpote barbari, & in angulo quodam orbis terrarum poſiti, atque à polita illa, & inuentrice bonarum artium Græcia ſeiuncti. Quanquam

quam eiuſmodi tum forent, itáque viuerent, vt neque infuſcati barbarie adhuc eſſent, & ſapientiſſimorum hominum, ac Græcorum ſcriptis, & iudicio celebrentur, præferantúrque ſuis; tamen miſſos illos faciamus, ſi lubet: Græcos ipſos videamus.

Horum principes cùm pacis bellíque artibus habiti ſunt ſemper Lacedæmonij; tum reipubl. gerendæ, ac iuuentutis educandæ ratione ac formâ facilè ceteris omnibus antecelluerunt. Illi igitur quid? Non puto vos tam me rudem in dicendo atque ineptum eſſe ſuſpicari; vt à me trita illa ac decantata ſæpius expectetis, non modò ſermone atque auditu pæne omnium, ſed & ſcriptis monimentíſque plurimorum. Cuius enim aures præteruecta eſt nobilis illa ac toto orbe celeberrima diſciplina? Aut quam non ſcriptionum veſtrarum atque argumentorum paginam implent à Lycurgo conditæ traditæque leges; quibus educari item publicè liberos ſanxit; eorúmque curationem voluit publicæ ad adminiſtrationis partem aliquam pertinere? Iam illud de productis duobus in concione canibus quàm vulgare! quàm porrò ad deteſtationem illam licentiæ in pueris aptum atque efficax! Nam de conuiuiis illorum, quæ à parſimonia quoque nomen inuenerunt, déque omni victu ac cultu ſi pluribus loquar, non tam in vobis deſiderium admiratione exempli, quàm ſtomachum tam vulgatæ rei narratione commouebo. Vnum tamen mihi vel cum eiuſmodi periculo reticendum non eſt,

quod ad illam ſeruitutis excludendam querimoniam mirificè pertinet. Nam ad eas acerbitates, quas vulgò libertatis amatores queruntur, hoc vnum numerari video vel grauiſſimum, quòd leuiſſimis interdum de cauſis vapulent miſeri atque ignominioſis plagis affici ſoleant. Conſolabor igitur hunc illis mœrorem atque eorumdem exemplo Spartanorum fortiores eos & animoſiores efficiam. Meminerint itaque quid ad puerorum probandam corroborandámque conſtantiam ſapientiſſimus, vt quidem vulgò habetur, legiſlator ſtatuerit. Erat apud illos Orthiæ Dianæ ara quædam ac ſimulacrum, ad quod ſtatis temporibus produci nobilium adoleſcentulorum greges ſolebant. Ibi coram parentibus ac propinquis nudati, ſpoliatíque veſtibus, non modò ad cruorem vſque, ſed & necem interdum, conciſi virgis ac laniati feruntur. Quid ad hæc frontem contraxiſtis? quid cohorruiſtis, (Adoleſcentes?) Num iure vobis ſuo Spartiatæ illi pueri libertatem optaturi, ac multo quàm vos iuſtiùs de ſeruitute conqueſturi videntur? Mirum dictu eſt. Cædebantur virgis tenerrimi adoleſcentes; ac verberibus excarnificati & ſemineces concidebant: cùm interea nemo inter crepitum verberum ac cruciatum ingemiſceret, ac ne vocem quidem vllam, aut geſtum doloris indicem præ ſe ferret. Quin ipſæ etiam matres, quæ vnà huic ſpectaculo aderant, adeò nihil commouebantur, vt cùm profluentem è filiorum corpore ſanguinem, laceros artus ac conſciſſos, moribundos ipſos át-

que exanimatos cernerent, hortarentur nihilominus, vt ictus flagellorum fortiter perferrent, ac vulneribus vulnera magis quàm corpora præberent. Dura horribilíſque lex, fateor, & ſanguine, vt ille aiebat, potiùs quàm atramento ſcripta. Vt non abſurdè forſitan de tota hac republ. dixiſſe quiſpiam narretur; mirari ſe deſinere, cur tam parati ad mortem Spartiatæ atque alacres forent, cùm eas leges atque inſtituta paterentur domi, quæ mortem ipſam atrocitate ac crudelitate vincerent. Cùm hoc ita ſe habere decreuerimus, recordari iſtud ipſum tamen vnà debebimus; ab iis legibus atque ea diſciplina profluxiſſe toto orbe terrarum clariſſimam ac celeberrimam rempublicam, ciuéſque ipſos ceteris mortalibus rebus geſtis ac laudum omnium ornamentis atque inſignibus præſtitiſſe.

Hîc mihi contra duorum populorum iudicium reliquorum conſenſione atque auctoritate video poſſe pugnari: ſed Athenienſium ac Romanorum imprimis; quorum illi Perſas ac Lacedæmonios æquarunt ſaltem; alij etiam dignitate ſuperarunt. Atqui apud neutros aut ita publicè eruditam iuuentutem accepimùs, aut tam triſti ac ſeuera diſciplina fuiſſe conſtrictam. De ciuitatum inter ſe contentione nihil diſputo, nec vtri vtris excelluerint vllam in partem conſtituo. Hoc dico: primùm, vt aliis rebus inferiores ſint, poſſe Lacedæmonios ac Perſas vno hoc communiter inſtituendæ pueritiæ ritu reliquis anteponi omnibus: itáque prudentiſſimos

ac doctiſſimos homines exiſtimaſſe, qui totum illud priuatæ ac ſolitariæ diſciplinæ negotium vehementer improbarunt. De Athenienſium certè republ. auctor valde bonus ac diſertus Xenophon cùm diſſerit, ſic omnem illorum adminiſtrationem homo Athenienſis condemnat, vt nominatim ideò maximè reprehendendos cenſeat, quòd liberorum adminiſtrationem non in aliqua publicæ rei parte, ſed in priuatorum iure atque arbitrio poſuerunt. Tum illud adiicio: non minùs ex domeſtica ac ſingulari horum inſtitutione, quàm aliorum publicâ intelligi, quantum ad iuuentutis diſciplinam momenti in vtramque partem adferat ſeueritas, aut licentia. Immo ex ea manifeſtius illud arbitror futurum, quòd vt diſpar ac diſſimilis inſtituendi ratio fuit, ita ingens eſt in pueris morum ac ſtudiorum facta diſſenſio. Quorum ex comparatione (quod in vniuſmodi ac ſimplici diſciplina fieri nequit) facilè cum alterius pernicie, alterius fructus atque opportunitas colligatur.

Nam vt de Athenienſibus maximè dicam; quod de ea ciuitate vulgò iactatum audimus; qui boni inter illos eſſent, eos optimos ac præſtantiſſimos; qui mali, peſſimos ac longè deterrimos fuiſſe, mediocrem neminem; iſtud ipſum non tam ex indole cuiuſque atque ingenio profectum, quàm ex inſtitutionis varietate ac diſcrimine putandum eſt. Sapientiſſimo illius ætatis Socrati ab æmulis atque obtrectatoribus vitio quondam tributum eſt; omnes qui eius diſciplina vſi eſſent, longè perditiſſimos fuiſſe,

ac velut fato quodam ad reipubl. perniciem excitatos. In his præſertim Alcibiadem & Calliam nominabant, alterum hoſtem patriæ, alterum etiam oppreſſorem ac tyrannum. Contra quos ita præceptorem ſubleuat ille â me antea commemoratus Xenophon; vt eos dicat, quamdiu operam Socrati dederunt, ſéque ad illius familiaritatem adſtrinxerunt, frugi homines ac moderatos fuiſſe: poſteaquam verò iure ſuo ac libertate vti cœperunt, ac ſe ab eius ductu ac coniunctione ſepararunt, incidiſſe in adulatores ac corruptores nequiſſimos, ab iiſque ad omne flagitiorum ac libidinum genus eſſe compulſos. Qua eadem excuſatione vſus apud Platonem Socrates in Theæteto legitur: & quidem rectè. Non enim aut præſtare diſcipulorum vitia vſquequaque præceptores conuenit: aut non turpiſſimi ac contaminatiſſimi eſſe poſſunt; qui honeſtâ ac graui diſciplinâ reiectâ, effrenati in licentiam ac præcipites feruntur. Vobis verò (Adoleſcentes) horum in hominum exemplo longè maxima ac certiſſima documenta propoſita ſunt, quàm ſit ea ad officij ſtabilitatem neceſſaria ſeruitus: iſtúdque ipſum liberum eſſe in pueris, non ſine magna mercede contingere prauitatis in animo, calamitatis in republica. Hæc quia in paucis illis tam perſpicuè cognita ac patefacta ſunt, hærere in percenſendis aliis diutiùs, pæne ſuperuacuum puto: hoc verò tempore, cùm ſatis iam diu humanitate ſim veſtra ac patientiâ abuſus, etiam odioſum ac moleſtum. Quod niſi vt accideret,

modò mihi vererer, tametſi omitterem reliquos, de Alexandro certè rege non tacerem. Eſt enim in eius factis atque vita non minùs illuſtre monimentum generis vtriuſque, quàm bellicæ virtutis ac gloriæ conſtitutum. Qui quantus ad magni cognomen obtinendum fuit, tantus eſt præceptorum diligentia ac ſui ad illorum diſciplinam accommodatione factus. Quòd poſtmodum luxu, vinolentia, crudelitate, totam illam dignitatis poſſeſſionem atque ornamentorum omnium effudit; tum denique conſecutus eſt, cùm in pleniſſima ſui atque omnium rerum poteſtate ac licentiâ vixit.

De Romanis, quia conſequens fuit, hoc breuiter dico: vtcunque publicè ſuſceptâ ac communi iuuentutis inſtitutione caruerint; non caruiſſe illâ, propter quam hæc probatur potiſſimùm, ſeueritate ac duritia. Sic enim eos à parentibus edoctos ac conſuefactos ſcimus; quaſi non ſibi eſſent, ſed communis patriæ causâ procreati. Proindéque nihil laſciuum in iis, nihil petulans, nihil in vita ac conſuetudine ſolutum ac remiſſum. Erant in campo ac communibus exercitationibus aſſidui; vbi armorum perinde ac patientiæ, tolerantiæque meditatione continuâ ad ea ſe præclara conformabant, quæ magnificè alicubi Cicero prædicat; ferre plus dimidiati menſis cibaria; ferre ſi quid ad vſum velint; ferre vallum: ſcutum, gladium, galeam in onere non plus numerare, quàm humeros, lacertos, manus. Hæc Romæ quondam generatim vniuerſi. Quid porrò ſingulos attinet re-

ferre, aut eos adiicere parentes, qui in continendis refrenandíſque liberis nimij etiam, & acerbiores fuerunt? Niſi quis à me forſitan Bruti, Torquati, Caſſij, Scauri, Fuluij horrida illa, & immania deſideret; quæ non tam ad imitationem, vt ſuperiora illa, quàm ad terrorem ac miraculum valent. Dicat modò de iis vnuſquiſque quod ſentiat. Ego tamen iis artibus atque ea iuuentutis diſciplina Romam video ſummo orbis terrarum imperio ſedem ac domicilium dediſſe. Hac verò laxatâ ſemel ac neglectâ, vniuerſam concidiſſe funditus, atque inteſtinorum motuum, & ciuilium diſcordiarum incendio conflagraſſe. Nolite exiſtimare (Adoleſcentes) aliam priuatorum rationem ad corruptelam eſſe, quàm fuerit ciuitatis totius ac reipublicæ. Hoc fortaſſis intereſt, quòd illic non tam ſubita præcépſque ſit in deterius inclinatio multitudinis alicuius: priuatorum animi repentinas habeant conuerſiones ac viciſſitudines: ſed eorum imprimis, qui paulò antè arctioribus diſciplinæ vinculis alligati, ſtatim ad infinitam licentiam & impunitatem conuolant. Acriores enim ſunt & vehementiores impetus compreſſæ ad tempus libertatis, quàm retentæ. Atque haud ſcio an minore periculo careat omni penitus inſtitutione puerilis animus, quàm ſi impolitus adhuc & acerbus repentè ſe in libertatem vindicet, antequam perfici ac conſummari potuerit. Hoc ne experientiâ potiùs veſtrâ quàm aliorum, quos iam antea vidiſtis, exemplo ac periculo conſtare vobis velitis, pro meo erga

vos amore atque officio vos moneo, (optimi Adoleſcentes) ſimúlque vti cœpta à vobis hæc oratio progreſſa ad alios ac circunducta longiùs eſt, ſic ab his modò ad vos longo interuallo reuocanda eſt. Neque id tam faciendi finis ac perorandi gratia, quod iamdudum ſentio eſſe neceſſarium, quàm quòd veſtri ex vobis documentum capere poſſitis, vt minùs fortaſſe à me prolatis hactenus illuſtre, ſic coniunctum iiſdem, & ad captum veſtrum atque intellectum multo facilius.

Duo in vobis eſſe genera dixi initio huius orationis: alterum eorum, qui in contubernio, ac pæne ſinu præceptorum educati, arctiore ac domeſtica diſciplina tenentur. Eorum alterum, qui liberiorem atque extraneam frequentant. Atque vtriſque quidem nonnihil deceſſiſſe libertatis, & in ſeruitutem veluti quandam magno ſuo bono, immò etiam neceſſariò committi. Addideram, & illud: probari nobis vehementer propè vniuerſorum operam ac ſtudium, & ab illis hucvſque diligentia, aſſiduitate, pietate, omnibus denique officiis cumulatè eſſe ſatisfactum. Nunc illud adiicio: eminere nihilominus inter omnes (de pueris loquor) priores, atque incluſos illos, ac ferè genere ornamentorum omni præſtare reliquis: perſeuerantia quidem atque aſſiduitate, & opera omni quotidiana longo poſt ſe ſpatio reliquiſſe. Flos enim ille eſt ſcholaſticæ pubis, ingenij decus, exemplar modeſtiæ, ſpecimen probitatis, ornamentum ætatis ſuæ. Quos à nobis hanc obtinere

prærogatiuam laudis ideo grauatè ceteri ferre non debent, quòd à quibus labore, ac diſciplinæ conſtantia vinci ſe fatentur vltrò, fateri etiam deceat, iis ſe fructibus, atque ornamentis, quæ illis ex rebus oriuntur, eſſe ſuperatos. Defendite vobis hanc laudem, conuictores ac contubernales noſtri, meámque hanc ſiue ſpem de vobis, ſiue confeſſionem atque experientiam, ſiue vtrumque veriùs comprobate alterius generis ſodalibus, ac nobis omnibus. Ac quæ à me ſeuerioris diſciplinæ commoda enumerata ſunt, habere iam vos: quæ ex libertate propagari mala dixi, ea & cauenda vobis ante alios, & euentura, ſi ab inſtituto deſciueritis, potiſſimùm putatote. Poſtremò tam vos quàm reliquos hortor omnes, atque obſecro; ſi & ex rei veritate, & ex incredibili in vos voluntate deducta hæc oratio mea eſt, eam vt in animis veſtris defigi atque hærere velitis. Excutiant hanc deinceps omnes leuiſſimam atque inaniſſimam titillationem libertatis, colligant ingenij ſui vires, diuturna præſertim feriatione atque otio diſſipatas; totóſque ſe nobis ac priſtinis officiis reſtituant. Quod in erudiendis iis ſtudium, laborem atque operam collocamus, augeant in nobis deinceps atque excitent; angorem ac ſolicitudinem minuant: vtrumque non inutile ſibi, iucundum nobis, officioſum parentibus, reip. fructuoſum eſſe patiantur.

DE LEGENDI DELECTV.

ORATIO DECIMA.

VETVS illud poëtæ neſcio cuius eſt (Auditores ornatiſſimi) elegantiſſimíque dictum,

Vt homo qui erranti comiter monſtrat viam,
Quaſi lumen de ſuo lumine accendat facit.

Quod quidem communi id humanitati dandum admonet, benignè vtiter errantibus monſtremus, etiam ignotis. Mihi verò, qui ad hoc diſciplinarum iter dux inſuper aliorum ac moderator acceſſerim, non pro communi ſolùm humanitate debitum, ſed lege quadam officij mei neceſſarium videtur, vt eam viam, quæ mihi quoque tenenda ſit, primo ipſo docendi aditu commonſtrem. At cùm omnis præcipuè politiorum litterarum ratio libris ac monimentis definiatur; plurimùm autem interſit, quibus quiſque volutandis aſſueuerit: qui doctrinarum iſtiuſmodi artiúmque viam explicare velit, ei eſt profectò de legendi cautione diſputandum. Dicam igitur de librorum delectu, hoc eſt, eruditionis inſtrumentis; quibus omnis in pueris informatur doctrinæ copia, & aucta iam in grandioribus, ac conſtituta perficitur. In quo ſanè duplici cum hominum genere video certamen eſſe ſuſceptum. Quorum alij parum è

Chriſtiani re nominis ac dignitate eſſe putant; quòd exterorum ac Gentilium libris tantùm in ſcholis præſertim ac publicè tribuatur. Alij contrà vſque eò vetuſtatis elegantiæque ſe amatores eſſe iactitant, nullum vt reſpuendum huius generis cenſeant, ne eum quidem qui ſit fœdiſſimus. Sed cùm vtrique grauiſſimo in errore, & inimica noſtris ſtudiis maximarum rerùm inſcitia verſentur; occurrendum illis ipſis hac oratione decreui. Quâ mihi antiquitatis primùm ſuſcipienda cauſa eſt, & eorum auctoritas tuenda, quorum aſſiduis inſtituendæ huius ætatis ducibus ac magiſtris inſiſtimus. Quod vbi breuiſſimè perfecero; tum de cauenda vbique obſcœnitate dicam; vt appareat quàm meritò diſciplinæ noſtræ alumnis eo genere ſit interdictum. Summa itaque diſceptationis totius, ac velut hodiernæ actionis propoſita vobis eſt (Auditores.) De qua quid ſtatuendum videatur, veſtri arbitrij erit ac iudicij: meæ facultatis, quemadmodum agi apud vos tractaríque poſſit. Vt autem non inaniter hæc à me opera nauata ſit, ſpero æquitatem mihi veſtram ac prudentiam affuturam.

Mea quidem, vniuerſarúmque Societatis noſtræ ſcholarum ratio hæc eſt; duces cùm ad iſtas omnes litteras; tum ad Græcæ Latinæque facultatis diſciplinam eos adhibendos, quorum vetuſtate iam ipſa ſeſe confirmarit ac corroborarit auctoritas. Atque hoc certè, ſi in aliquo, vt olim, vſu linguarum illa ſermoníſque copia extaret, dicerem nihilominus: ac

vel ætati iſtud ipſi, vel ſinceritati temporum, vel inueteratæ tot annorum opinioni dandum arbitrarer. Nunc cùm apud eas nationes, quarum erant propriæ, pridem exoleuerint; nos tantundem in illis aſſequamur, quantum è mutis iis magiſtris haurire potuimus: quis in horum delectu non integerrimos quoſque præferat, atque ab recentioris ætatis barbarie ſeiunctos?

Sed huic noſtrarum conſuetudini ſcholarum reclamant boni illi quidem, ſed nimium vel timidi vel moroſi homines. Pleniſſimam rem eſſe periculi queruntur, iugem illum, aſſiduúmque ſcriptorum Gentilium vſum: vbi vel flagitioſarum rerum, vel Chriſtianis ab moribus inſtitutíſque diſſidentium nimis ineſt aperta ſæpe, neque ſatis verecunda tractatio: aut vt caueri iſta maiori ex parte delectu, ac prouiſione poſſint; eſſe hæc ineuitabilia certè, penitúſque cum illis inſita, maximè poëtis: Deorum, Dearúmque ſubturpes hiſtorias, eorumdem rixas ac iurgia, reliquáque non futilia magis quàm pernicioſa id genus acroamata, quibus gymnaſiorum parietes, ac puerilia illa tyrocinia perſtrepunt. Quæ omnia ſplendidiſſimis ornata ſententiis, illuminata verbis, quaſi quodam fuco circumlita puerorum antè animos ac mentes occupant, quàm cognoſcere ipſi ſeſe & hæc contrà firmare potuerunt. Hoc adeò ſanctiſſimis quibuſdam patribus eſt viſum, vt & ipſi penitus ab iis abhorrerent, & à Chriſtianorum ſcholis ſeueriſſimis decretis excluderent.

Et ætate noſtrâ ex Tranſalpinis quidam admibili vir ſanctitate, ac religione, vt qui Sanctorum in numerum ſit adſcriptus, periclitandæ rei cauſſa, in ea cui præerat vrbe, ludimagiſtris omnibus, Cicerone, Virgilio, ceteríſque id genus excuſſis, pios quoſdam ex noſtris, & elegantes enarrari præceperat: mutauit autem ille ſubitò ſententiam, poſtquam expertus didicit, quantum ingeniis ex ea re ſcientiæ deceſſiſſet.

Sed ij, quos non elegantiæ contemptus; ſed nimius, vt ita dicam, ardor pietatis in hunc errorem impulit, vt minimè audiendi, ſic non multùm reprehendendi; amandi etiam de tam inflammato probitatis ſtudio videntur. Aliorum in ſimili cauſsâ diſſimilis ratio eſt: qui ingenij ſtupore quodam, vniuerſam nitoris atque ornatus copiam reiiciunt; quorum aures, vt de aſininis, veterum quidam dixit, ad omnem ſuauitatis concentum hebetes ſunt & obtuſæ. Itaque ſolam agreſtem & horridam diſciplinam probant: minuíque vel religionis integritatem, vel ſolidioris ſcientiæ vim putant, ſi ex antiquorum monimentis politioris elegantiæ concinnitas quæratur. Quò malum iſta barbaries erupit? Quemquámne adeò ferum, aut ſtolidum eſſe, vt doctrinarum vllum eſſe putet, ac venuſtatis & lepôris diuortium? Quas profectò res non natura ipſa; non ſapientiſſimorum virorum auctoritas; non mediocre cuiuſquam ingenium ſeiunxit: ſed ſingularis temporum calamitas; abſurda hominum per-

ſuaſio; praua in vitiis aliorum imitandis ſedulitas diuulſit. Nimis hoc ſeruile, nimis eſt; affixum iis eſſe ſordibus, atque in hoc quaſi neceſſario morbo conſiſtere: nec in tradendis addiſcendíſve artibus locum vllum humanitatis eſſe cultui atque ornamento putare. Tu à diuinis humaníſque diſciplinis lepôrem omnem arceas? Tu niſi barbarè, niſi horridè, niſi inſulsè dixero, explicariá me res tam amplas, tam magnificas neges poſſe? Tu ad ſapientiæ ſtudium adiungendam neceſſariò hanc inſaniæ labem cenſeas? Inſaniæ dico. Quid enim amentius, quàm cùm per plana & amœna iter facere poſſis, hærere in luto malle, aut in præruptis ac ſalebris vagari? cùm in luce clariſſima verſari liceat, tenebras nihilominus ac caliginem conſectari? deformandis denique præſtantiſſimis artibus, ampliſſimarum rerum pretium minuere potiùs, quàm iis paululum exornandis pondus ac dignitatem addere?

Sed ne cui eorum, quos nuper dixi, ſanctorum virorum præiudicio ſuſpectæ eæ literæ reddantur, opponam quantæcunque horum auctoritati non minùs grauem lectiſſimorum patrum, ac Chriſtianæ pietatis principum ſententiam. Nec verebor ne, ſiue illorum ſcripta conſulueris, quanti haſce litteras ipſi fecerint, facilè non intelligas: ſiue de auctoritate ac ſententia conſtiterit; quicquam putes eorum arbitrio præferendum. Mitto tacita illorum iudicia, expreſſa dicendi ornamentis omnibus; hoc ipſum quicquid ſuauitatis, quicquid eloquen-

tiæ, quicquid venuſtatis habent: (habent autem fermè omnes vel plurimum) hauſtum ex illis Gentilium fontibus, ac traductum. Atqui ſi nullum aliud foret ; hoc vno mihi indicio abundè teſtari viderentur, quid nobis in re ſimili faciendum cenſerent. Nam qui ſibi quod ad vtilitatem eruditionis aliquam, aut orationis faceret, transferendum ex iiſce monimentis putarunt; poſſunt illi non eiuſdem elegantiæ amore ductis eiuſdem eſſe induſtriæ & voluntatis auctores? Poſſunt huncinuidere aliis cultum? non has opes commendare, quibus vt & celeberrimi ipſi eſſent, & hominum generi fructuoſiſſimi, magna ex parte ſunt conſecuti? Sed hoc ego, quod nulla huius rei mentione facta, ſcribendi duntaxat genere ſignificarunt, prætereo. Hoc, quod apertè ipſi pronuntiarunt, quàm graue! quàm in iſtos impolitos, ac barbaros, vehemens eſt, ac ſeuerum! Horum vnus, dicendi, meo quidem iudicio, princeps Baſilius tantùm ab improbanda Gentilium lectione abfuit, vt quâ id ratione fieri oporteret, polita ac ſapienti oratione diſputaret. In qua quid ad commendandum genus hoc eruditionis prætermiſſum? Putidus ſim, ſi ea attexam hoc loco, quæ de Moſe, Daniele, integerrimis planè viris, & earum doctrinarum nihilominus rudimentis expolitis, in eo libro diſſeruit. Iam Nazianzeni quod poteſt in hanc rem grauius eſſe iudicium? Qui cùm aliis in libris tum in ea quam de S. Baſilio ſcripſit oratione, acerrimè in barbarum atque

imperitum litteratorum vulgus excurrit: quos luſcorum ſimiles eo cæcis infeliciores eſſe prædicat, quòd prçter viſus calamitatem, quam cum iis communem habent, ex calamitatis inſuper, quem iſti non habent, ſenſu, mœrore ac verecundia crucientur. Quid Syneſij in eo præſertim libro, qui Dio inſcribitur, vt aſperitatis ac vehementiæ pleniſſimam, ſic veritatis, reprehenſionem commemorem?

Sed nihil ipſo eorundem patrum teſtimonio illuſtrius, quod non mutis illis ſcriptorum indiciis proditum, non verbis duntaxat ac voce declaratum, non ex vnius aut alterius auctoritate depromptum; ſed propè totius Chriſtiani orbis conſenſu, incredibili contentione animorum, reipſa eſt factíſque comprobatum. Fuit enim aliquando tempus, cùm nefarij transfugæ callidiſſimo decreto Chriſtiani omnes Gentilium librorum lectione prohiberentur. Ferre enim iſtud Chriſti hoſtis immaniſſimus non poterat; ſuos à Chriſtianis tantopere non modò dicendi virtute ſuperari, ſed & confici propriis quodammodo telis, atque eorum librorum præſidio erroris redargui. Quid tum noſtri illi vetuſtatis contemptores facerent? Quieſcerent nimirum, ac bene etiam agi ſecum crederent: nec id moleſtè ſibi ademptum ferrent, quòd ſponte depoſitum, ac ſepultum pridem cupiant. Non ſic lumina ea tempeſtate Chriſtianæ reipub. nec facilem illam aut tolerabilem iacturam ſapientiſſimi homines, integerrimi pontifices, doctores grauiſſimi

mi iudicarunt. Neminem arbitror latere veſtrûm quàm ferax ætas illa talium hominum fuerit; quod aureum profectò Chriſtianæ fidei, ac religionis ſæculum non immeritò dixerimus. Illi igitur quid? Pro ſe quiſque communem hoſtem laceſſere: ægrè ferre hanc ingeniorum vaſtitatem: iniuriam exprobrare: tum qui plus ceteris dicendo poſſent, libros noſtros quà ſolutâ, quà conſtrictâ numeris oratione transferre. Nec eo tamen contenti, antè non deſtiterunt, quàm poſt meritas ab impio ac nefario illo pœnas exſolutas, reſtitutâ libertate, pæne intermortuus ſe litterarum ſplendor excitaret. Satin' igitur ex eo facto, quis clariſſimi illius ſæculi ſenſus fuerit, quódq; de iis libris iudicium, animaduertitis? Credo nec illud magnopere probatis: diutiùs me tritâ in re ac peruulgatâ conſiſtere. Nam & illorum alioqui ratio eſt eiuſmodi, vt vel minimo conatu labefactata concidat; nec in elegantioris cuiuſquam animo ac iudicio reſidere poſſit. Aliorum in opinione caſtiganda elaborandum magis eſt. In qua vt erroris ineſt, quàm in prioribus illis non minùs, ſic periculi multo plùs, ac turpitudinis. Deinceps igitur orationis meæ curſus eò dirigendus eſt, vt de vniuerſo corruptorum ac peſſimorum genere librorum diſputem; quantúmque in ea re non ad priuatam modò cuiuſque corruptelam, ſed, quod caput eſt, totius ad reipubl. perniciem momenti viriúmque ſit, intelligere poſſitis.

Malos ego libros, hoc eſt, hæreticos; hoc eſt, impuros; hoc eſt, alicuius obſcœnitatis magi-

ſterio ac turpitudinis infames exterminandos dico. Satis hoc quidem ad huius dicti fidem eſſe potuerat; ſi vel eo duntaxat malos illos malè perdendos arbitrarer, quòd mali ſint, quòd de malis diſputent, quòd in malorum doctrinâ ſint, ac diſciplinâ poſiti. Nam cùm ea ſit naturæ noſtræ dignitas, ea rectè viuendi impoſita neceſſitas, atque virtutis; vt illam vel tenuiſſima cuiuſquam impuritatis labes inuſta dedeceat: tum ſanè apparet, quantopere cauenda ea ſint, quæ & per ſe turpiſſima ſunt & ad grauiora inſuper flagitia inuitamento eſſe poſſunt. Quid illud? Num ad totum hoc librorum genus damnandum ac deteſtandum parum afferet; ſi cuiuſmodi olim eorum artifices ac repertores fuerint, ex noſtra, aut antiquitatis memoriâ repetamus? Qui vt ipſi ex omni erant improbitatis ac libidinis genere conflati; vti nihil in ſe ingenuum, nihil pudicum, nihil præter petulantiam ac fœditatem habuerunt, ita quæcumque ex tam turpi cœno communem ad animorum interitum afflata ſunt, non minùs virulenta ac peſtifera eſſe neceſſe eſt. Niſi fortè ſcribi hæc quidem atque in lucem proferri ſine ſcelere non poſſunt: legi aut ſtudioſè etiam pertractari iam conſcripta ſine ſcelere poſſunt: aut non eiuſdem, imò etiam aliquanto maioris nequitiæ eſt, ſiue ipſum quod turpe ac flagitioſum ſit, committere, ſiue ab aliis commiſſum ſtudio quodam ac voluntate comprobare. Sed illud conſideremus potiùs, quidnam citra aliena præiudicia in re ipſa vitij malíque inſitum ſit, & pro-

prium. Mihi quidem (Adoleſc.) de ea re mecum animo reputanti, ita ſtatuendum videbatur : ætatem hanc veſtram perinde atque hominem eſſe, qui in editiſſimo quodam montis faſtigio poſitus, ægrè conſiſtere, atque in lubrico pedem collocare poſſit. Qui cùm vel leuiſſimo impulſu, æger potiſſimum atque imbecillis, facilè corruat, tum ſi vehementiori aliquo impetu percellatur, per prærupta illa atque ſaxa præcipiti celeritate decurrit. Par eſt in adoleſcentibus periculi atque diſcriminis conditio. Illam, inquam, Adoleſcentes! ætatem tam teneram, tam infirmam, tam ſuopte pondere inclinantem pendêre in procliui, ac titubare quodammodo putatote: eandem illam inteſtinis motibus ac perpetua mentis agitatione vehementiùs impelli. Quibus ſi externa illa adiumenta, & quaſi inuitamenta cupiditatum acceſſerint, quomodo non dicam perſtare, ſed vel momento temporis impetum illum retinere poterit? Quàm multa ſunt autem, eáque validiſſima, quibus vrgeri aſſiduè illa, & in lapſum protrudi ſolet? Prauorum conſuetudo, parentum amor & indulgentia, moderatorum aut inopia aut negligentia. Quibus & illa accedit vitiorum magiſtra & hortatrix, exemplorum frequentia, ac multitudo malorum. Sed illa proſternit imprimis, quę cùm cetera habet omnia, tum multo his grauiora continet, deprauatorum librorum conſuetudo. In aliis quippe vel ingenuus plerumque pudor retrahit, vel dedecoris ignominiæque timor; vel ipſa per ſeſe earum rerum turpitudo deter-

ret. In hac peſte, magna vbique peccandi ſecuritas, impunitas ſumma. Abſunt conſcij illi atque ſcelerum teſtes, plurimorum oculi: teguntur omnia parietibus; procul à publica luce, à legibus, à magiſtratibus, ab arbitris, à reprehenſione ciuium, in tuto ac tranquillo poſita delitеſcunt. Illę ipſę voluptatum libidines quàm per ſe allicere atque inflammare ſolent! Sed ineſt præterea lenocinium ſuauitatis, ac ſermonis venuſtas, quæ etiam ab illis diſtracta mirificè in hominum mentes influit. Neſcio enim quo pacto, ſiue mortalium pæne omnium errore, ſiue id reuera, accidit tamen, nihil vt ea oratione videatur elegantius, quæ turpiſſimarum rerum fœditate ſit aſperſa. Cleombrotum neſcio quem audio, cùm Platonis librum, qui eſt de animorum immortalitate ſcriptus, legiſſet, tanto vitæ alterius deſiderio flagraſſe, vt ſeſe repentè de muro præcipitaret. Quòd ſi in re tam atroci, tam à natura abhorrenti tantum verborum ſplendor & eloquentiæ vis potuit; quid cum iis illecebris coniuncta vis eadem poterit, in quas ſponte ſe ætas illa, niſi omni ope retineatur, ſumma auiditate committit?

Sic igitur accidit, vt ſuauitatis cuiuſdam & inaniſſimæ oblectationis aſpectu, tanquam eſca illecti delinitíque homines, cæci atque amentes vltro ſeſe laqueis impediant, cupidéque id genus monimenta percurrant; hæc in triuiis, hæc in compitis, hæc in conuiuiis; hæc in omni popularium conuentu frequentiáque iactent: ex iis, facetiarum lepôrem omnem, & vrbanitatis

aſciſcant, quo quotidianos ſermones atq; colloquia quaſi condimento ac ſale perſpergant. Dubitet hoc quiſquam ab humani generis hoſte eſſe profectum, vt ſumma vitæ pernicies cum ſumma voluptate proponeretur; qui multiplices illius nocendi artes, & occultiſſimas ac nefarias inſidias, vel nunquam ſenſerit, vel ſentire ſe ac videre diſſimulet. Ad eum modum improbus artifex letalia ac venenata pocula melle delibuta propinans, id pugnat, vt præ dulcitudinis ſenſu plenis iſta faucibus hauriant, & ab auctoris admiratione, ab amore ingenij, ab elegantiæ commendatione, ad eos qui vnà admiſti ſunt errores complectendos, ad amanda flagitia, imitandas libidines ducantur. Ne dici quidem opus eſt, quàm multi ea duntaxat, vel potiſſimùm, occaſione capti miſerrimo ac ſempiterno demum exitio perierint. Sua ab aliis aucta & amplificata nequitia eſt; additi ad omne improbitatis genus acriores ſtimuli; audacia impudentiáque confirmata: quorum tamen leuior fortaſſe iactura eſt: erant enim ſi non ita grauiter, at aliquo tandem obſtinatæ in ſcelere mentis exitio ruituri. Fuiſſe verò atque etiamnum eſſe quàmplurimos, qui in medio honeſtatis curſu, & in præcipuâ anteactæ vitæ laude, quaſi ex itinere in ea diuerticula ſeſe proripientes, fœdiſſimè ſpoliati, atque omnibus ornamentis exuti ſunt, quàm ignominioſum ac bonis omnibus luctuoſum!

Vidit aliquando pia fidelium mater iactis nuper religionis initiis prodire ex ſeſe nefarios er-

rorum architectos; ſua in viſcera graſſari, opinionum portenta diſſeminare, ſceleratas reipublicæ Chriſtianæ faces inferre. Vidit, & cum ſummo mœrore vidit, vixdum hac oppreſſa flamma, nouum ſubinde aliis atque aliis in partibus incendium ſecutum: nec vllum vnquam aut inſtaurandi aut propulſandi furoris finem eſſe factum. Atqui hoc ipſum quantum quantum eſt, quod mali hactenus vidit, quid autem non vidit? ſi boni ratiocinatores ſumus, ab hoc vno perditorum librorum fonte ſi non manaſſe penitus, certè magna ex parte profluxiſſe comperiemus. Quid? Num illud obſcurum cuipiam, aut dubium eſſe poteſt, quæ hæc noſtra tempeſtas tulit Eccleſiæ buſta, ætatíſque prodigia, omnes Lutheros, omnes Caluinos, Bezas omnes ac Zuinglios, & ſi quod aliud eſt ex immaniſſimo grege ſceleſtum atq; execrandū nomen, ab iis audaciæ incrementis ad ſummam deſperationem veniſſe? Recordamini quæſo quoſcumque vobis vel audiſſe, vel vidiſſe contigit, qui aliquot ante annos in hanc conſceleratorum factionem ab hac bonorum ſocietate deſciuerunt, deſciſcúntque quotidie. Vt eos omittam qui ſalua fide, pietate non ſalua, moribus ſunt vitáque corruptiſſimi. Quorum quid mali aut ſceleris afferri poteſt, quod non inde conceptum ſit ac deriuatum? Quis omnino Galliâ totâ hæreticus? quis contemptor numinis? quis impurus? quis impudicus? quis aliorum corruptor? quis corruptus ipſe? quis nefarius facinorum auctor inueniri poteſt, qui ſi verum

dicere velit, ſuam non ab eiuſmodi libris excitatam nequitiam, & per illos auctam ac confirmatam fateatur?

Quamobrem repetam hoc ſæpè (Auditores) & quantum potero, voce contendam; quicquid calamitatis, quicquid acerbitatis, & antea perpeſſa Eccleſia eſt, & experitur in præſens, non aliunde quàm ex promiſcua cùm edendorum publicè, tum legendorum libertate librorum & olim conſequi, & eſſe conſecuturum. Nec aliud perditis pæne rebus auxilium afferri poſſe, quàm ſi grauiſſimis legibus atque omni pœnarum metu effrenata hæc licentia conſtringatur. Tametſi quid nouis decretis opus eſt? Habemus enim præclara ea de re ampliſſimi ordinis conſulta: quorum vim atque auctoritatem non ſine reipublicæ damno nimis iam diu hebeſcere ac debilitari patimur. Viderat hanc cladem auguſtiſſimus ille Tridentina in ſynodo patrum conſeſſus, eique opportunis decretis in ſempiternum prouiderat. Quibus ſi obtemperatum initio foret, reſtitutum in Eccleſia florem pietatis ac religionis haberemus. Neque verò ſublatos funditus obſcœnos omnes libros ac ſpurcitia infames voluit; antiquos præſertim; ne qua ex eorum iactura bonis litteris labes allata videretur. Neque tamen paſſim ac promiſcuè conceſſit, ne ea facilitate perditorum ſe corroboraret amentia. Sic igitur decreuit: quatenus veterum libri ob ſermonis elegantiam vtiles eſſe poſſunt, quibus de ea improbitate nonnihil ſit inſperſum, permitti iuuentuti poſſe,

dum ne publicè vnquam à magiſtris explicentur. Nouos verò omnes, & nequiſſimis ab hominibus ad prauiſſimarum cupiditatum lenocinia conſcriptos, non ſolùm publicè, ſed & priuatim luce hominum, conſpectúq; prohibuit. Hęc ſi prudenter, ſi conſideratè, ſi eiuſdem, quo ea Concilia gubernantur, Spiritus impulſu ac voluntate decreta ſunt, támne deſperatus quíſquã erit, qui ſacroſanctis edictis per vaniſſimæ concinnitatis ſpeciem derogare audeat? Miſſa facio quæ priuatim ipſi ſibi, qui iuris ſui ſunt, licere exiſtimant. Non illud inquiro, quod iuſtiſſimè poſſum conqueri, quàm turpiter domi in eo luto volutentur; quàm nullo diſcrimine antiquos, nouos, peregrinos, vernaculos magiſtros earũ fœditatum atq; interpretes adhibeant. Suas ſibi habeant delicias: ſibi pereant: de ſe viderint ipſi. De adoleſcentum diſciplina ac teneræ ætatis inſtitutione diſputo. An eſt quiſquam, qui id meritò reprehendat; remoueri hæc ab adoleſcentibus, vitiorum nutrimenta ac pabula? arceri impuriſſimos & ad vitæ probrum editos ſcriptores? non infici ea contage delicatiſſimas aures? prouideri in perpetuũ ſaluti animorum ac morum innocentiæ? Niſi verò aut non corrumpi ea peſte iuuenum mentes, aut ſi tum corruptæ ſint, non ad reliquum arbitramur vitæ tempus pertinere. Age verò, quonam ore tuis infeliciſſimis adoleſcentibus iſta proponas? aut quo illos, ſi nondum pudorem omnem perdiderint, excepturos putas? Quo vultu? quo geſtu? quo mentis habitu vel corporis, teneris auribus de-

teſtandam libidinem inhalabis? Meretricios tu amores, lenonum ſpurcitiam, adoleſcentum laſciuiam, ſeruorum proteruiam, renidens ſcilicet geſtiénſque demonſtres? aperias inſuper, ſi, vti fit, obſcurum aliquid & inuolutum occurrerit? Atque hoc Chriſtianus homo facias? Chriſtianus, inquam, cui non modò audire iſta, vel loqui cum voluptate; ſed ne animo quidem ac cogitatione admittere fas eſſe creditur? abſit, abſit à ſcholis noſtris grex iſte lutulentus. Nihil ſit Chriſtianis pueris cum Terentij, Tibulli, Ouidij, Plauti, Catulli, Petronij multò magis atque Apuleij fœtore ac ſordibus commune: ac ne domi quidem, quoad fieri poteſt, in eo cœno prouoluantur. Non quia non licere cuiquam poſſit elegantiæ ſtudioſo in iis interdum hærere ſcriptoribus: ſed quoniam in illo præſertim tirocinio altiùs prima honeſtatis ſemina iacienda ſunt: ob ídque non vitij duntaxat macula, ſed & periculum declinandum: nec vſquequaque videre quid liceat, ſed quid expediat, oportet.

Verùm breuiter modò nonnullorum partim veris, partim fictis ad fœdiſſimæ voluptatis patrocinium querelis obuiam eſt eundum. Queruntur enim graues ſcilicet atque frugi homines, tantarum ſe támque neceſſariarum rerum poſſeſſione deiici; extorqueri ſibi moleſtiarum, atque ægritudinum ſolatia, ſubſidia doctrinæ, omnes nitoris elegantiæque delicias. Horridos nimiùm eſſe nos & agreſtes; ac barbarie quadam & humanitatis odio tantam in-

genij & vbertatis copiam velle ſubtrahere. O politos & elegantes homines! Parúmne igitur multa hactenus non à me modò de ea re dicta ſunt; ſed & à multis ante me & ſapientiſſimis viris, & auctoritate grauiſſimis, & eius, quam illi præ ſe ferunt, elegantiæ non ignaris, de toto hoc genere iudicia extiterunt? Solus hoc dicere audeo? ſolus ruſticus? ſolus vrbanitatis expers? ſolus omni humanitate alienus exiſtimor? Non vident arguti homines hac vna voce quantum temeritatis & impietatis ſuſcipiant. Sed auctoritate ſanè, & ſingularis prudentiæ, & religionis tantâ quantâ in hac cauſa abundare nos videtis, nimiùm vrgere nolo: hoc quod ab illis dicitur quale ſit per ſeſe videamus.

Vtiles ſunt id genus libri, & elegantes, & ad multos varióſque vſus opportuni. Sint verò: quando id ita obtinuit, vt præterquam quod honeſtum ſit, ſuaue aliquid aut expetendum putetur. Nolo nimis in ea re contentioſus videri. Sua iis quoque qui mali ſunt, vtilitas conſtet. Quid deinde? Quàm enim vtiliores ſunt multi, & hoc ipſo præferendi, quòd non mali, quòd periculi nihil, emolumenti multum afferunt & iucunditatis? Quibus omnibus vel ſummatim delibandis nulla cuiuſquam ætas diligentiáque ſufficiat. Sed ſint iſta rara in illorum iſtiuſmodi libris ac præcipua. Num tanti demum illa facienda ſunt, vt cum crudeliſſimo ac certiſſimo periculo coniuncta nihilominus appetantur? Quid hoc fingi poteſt abſurdius? Tu

ſi in his quibus vteris cibis, veneni aliquid eſſe ſuſpicêre, non ſi fame quidem moriare, contingas. Idem ſi in veſtibus, ſi in lectulo, ſi aliis in rebus ne fortè periculum ſit vereare, excutias quamprimum ac repellas. Quamquam quid hoc dico? Ne ipſius quidem tui aliqua parte carere detrectes; ſi illius iactura repræſentari totius corporis ſalus & incolumitas poſſit. Atqui ſunt illa profectò vtilia omnia atque iucunda: ſed iis longè potior eſt, quâ, ſi iſta retineantur, carendum ſit neceſſariò, valetudinis vitæque conſeruatio. Nunc cùm hiſce, quos tantopere prædicas, in libris præſentiſſima vbique venena reſperſa ſint, quæ tibi in animi viſceribus inhæreant, eiúſque paulatim robur omne, vitámque inſuper ipſam, quæ eſt omnis vnâ in virtute poſita, prorſus extinguant: his tamen ſedulò conſueſcas, eíque amentiæ, quoddam vrbanitatis vel etiam emolumenti ſtudium prætendas? qui id agas, non meritò furioſus conſtringendúſq; videare?

Contraxit hîc ſupercilium noſter bonarum artium patronus: ait aliter ac fieri debeat de his eſſe libris à nobis conſultum: decurtatos iampridem Latinitatis auctores: mutilum per nos Horatium, Catullum, Propertium, Tibullum, Martialem; interpolatos pleroſque; ídque quo iure, quo exemplo factum ſit, requirit. Credo peruagatâ iſtâ nonnullorum querelâ verberatas aliquando aures veſtras: neque enim iſtud à paucis, neque obſcurè, diſſimulantérque iactatur. De quo, pæne confecto

dicendi ſpatio, nihil hoc loco purgarem, niſi me attentè adeo à vobis audiri patientérque viderem. Quæ mihi veſtra facilitas (Auditores) animos facit ad reliquum orationis meæ curſum. Ingrediar itaque in hanc partem: ac primùm illud ſciſcitabor; quid in ea re flagitij ineſſe, quid temeritatis cenſeant. Dicent vtique, relictos oportuiſſe veteres: ſatis ad illos tutandos vel ætatis reuerentiam eſſe debuiſſe; poſtquam tot annorum ſpatio ſecuri inuiolatíque perſtiterunt. Quid enim ſimile ante nos tentatum vnquam? quibus ſi ita reſpondeam: vſurpatum hoc à nobis primò: nec exemplum ſecutos, quo nihil opus haberemus: hoc vnum vidiſſe; vtilem adeò rem, & his temporibus neceſſariam, vel nullo præeunte ſuſcipiendam fuiſſe: nos perpetuò tacitis bonorum iudiciis contentos leuiſſimorum hominum offenſiones contemnendas iudicaſſe. Tum factum ſit antea necne, nihil ad rem pertinere: hóc quod factum eſt, cuiuſmodi ſit eſſe quærendum. Hac ſi, inquam, defenſione vterer, (Auditores) quis iure poſſet arguere? Etenim ſi nihil innouandum, nihil immutandum vnquam, nihil, cuius afferre auctoritatem nequeas, in hominum conſuetudinem inferendum, quis non ſtatim videt perturbatum iri rationem vitæ omnem; neque morum poſſe, qui alij aliis temporibus eſſe ſolent, moderationem teneri? Quàm multa ſuperioribus annis aut honeſta aut tolerabilia viſa ſunt, quæ occaſione aliqua poſtea ſublata penitus exciderunt? Quanquam vt ce-

teris in rebus minùs illud audendum fuerit, audendum vtique erat in re tanta, in qua nimiùm cautus eſſe nemo poſſit : obſtrueréque ingentium malorum aditus omnes, fuit vel prudentiæ, vel timoris: maleuolentiæ certè non fuit. Sed non vtar hac excuſatione vel temporis, vel timoris noſtri. Hoc quod illi licitum definiunt, ſi non nouo exemplo committatur, quàm in hoc factó reperiatur, planum omnibus faciam.

Fœdos ego, & infames libros, nonniſi perpurgatâ & amputatâ obſcœnitate, meis adoleſcentibus trado. Quid ſi funditus tollam? quid ſi attingi ab illis vetem? ferendúmne iſtud exiſtimes? Atqui hoc & antea factum, & ab illis factum, quorum iudicium apud te plurimùm valere debet. Non ea iam auctoritate contendam, quam citra impietatem reiicere, cui repugnare non audeas. Paulo tecum humaniùs agam. Tuis te arbitris, hoc eſt veteribus, ac Gentilibus, reuincam. Ecquid Platonem accepiſti ab ea quam informabat republ. poëtas omnes exterminaſſe? Quid poëtarum ipſum caput ac principem Homerum dimittendum vnà cenſuiſſe? Et honorificentiſſimè quidem dimittendum; vtpote vnguento delibutum, ac coronatum: ſed dimittendum tamen. Atque ille quidem priuſquam in hunc modum vniuersè decerneret, in eo, qui eſt de republica tertius, inducenda in eorum ſcriptis ac delenda pleraque dixerat. Cuiuſmodi vana illa deorum figmenta ſunt : Iouis cum Iunone

ſuperiſque ceteris iurgia, contentiones, certamina, muliebres virorum clariſſimorum planctus, inferorum portenta: ac ſi quid aliud eius generis vel abſurdum, vel illiberale, vel exempli eſſet iuuentuti minimè boni. Sed hoc confictum ab eo potiùs, ac ſcriptis, quàm re ipſa, probatum fuerit. Eſtne hoc non minùs ſapienter Spartanorum legibus obſeruatum? At quibus legibus? Quibus neque ſanctiores vnquam Græcia; nec regendis iuuenibus aptiores, nec ad honeſtatis diſciplinam accommodatiores; nec denique prudentiores habuiſſe creditur. Illi ergo non omnes ſanè poëtas à ciuitate reiecerunt; ſed præter vnum omnes: Tyrtæum arbitror, cuius in verſibus nihil fractum, aut ſordidum; grandia omnia eſſent, & ad viriles bellicóſque ſpiritus iuuenum animos incitarent. Iámne videtis quibus auctoribus ſit iſta à nobis librorum emendatio ſuſcepta? Licuítne verò ethnicis hominibus arcere in perpetuum poëtas omnes? Licuítne aliquid ſaltem ex omnibus, vt ſuorum ætati conſulerent, præcidere? Chriſtianis idem in paucos, tam atroci in periculo, ſine aliorum offenſione non licebit? Licebit verò. Etiam olim quàm id gratum bonis omnibus eſſet, multorum eſt exemplis probatum. Nunquam tamen quàm in Heliodoro illuſtrius. Hic cùm adoleſcens vel nondum Chriſtianus, vel ſolutioris diſciplinæ, opus quoddam edidiſſet, paulò quidem illud fractioris argumenti, ſed minimè tamen diſſoluti: poſteaquam Eccle-

ſiæ eſt gubernaculis admotus, in prouinciali præſulum conuentu magnopere fertur de abolendis hiſce libris interpellatus. Quod cùm facere nimis pertinaciter detrectaret, optione ei data, vt aut ſacerdotio, aut iis libris cederet, eiurare illud maluit, quàm fructu ingenij ſui carere. Atqui cùm eſt opus illud, vt dixi, non nimis fœdum; tum artificio tanto induſtriáque perpolitum, vt qui illud legerit, nihil amplius requirat, quid admirabile aut exquiſitum appellet. Ac ſeuerius quidem aliquanto poteſt decretum illud videri; éſtque plurimum poſteriorum temporum facilitate detractum: ſed, vt captus erat ætatis ingeniorúmque, fortaſſe neceſſarium.

Quid illud? meminiſtis, ſacras litteras maiores noſtri quo delectu, quáve cautione conceſſerint? quid ais? ſuſpectúmne in ſacris oraculis quicquam eſſe poteſt; aut aliquid etiam inde periculi metuitur? nihil hîc de hæreticorum inſania loquor: qui non minore damno, quàm ſcelere vulgare eas pridem inſtituerunt. De his loquor, quibus honeſtè vti licuit; nec iis tamen omnia ſunt temerè conceſſa. Sic enim accepimus, Geneſin ac Salomonis illud epithalamium nonniſi certos homines, ætate certa attingere potuiſſe. Hem! quid facitis optimi patres? (dici ab iſtorum aliquo putate.) Tantúmne iuris vobis in hos libros aſſumitis? an in Diuinis litteris eſſe aliquid poteſt, quod quempiam offendat? ſi boni ſunt ij libri, cur adire non ſinitis? ſi mali, ſi periculoſi,

quid in ſacris faciunt? hæc illi. Noſtri verò quid? optimi ſunt libri: ſed vel optimos prohibendo, conſulimus imbecillitati veſtræ. Nondum iſta tractare vobis expedit: quid autem expediat, non veſtri arbitrij; ſed noſtri iudicij eſt. Sinite prima ſe illa ætas per virtutis incrementa confirmet. Paſcenda tantiſper eſt mitioribus ac ſimplicioribus cibis. Creſcet interea vis ingenij ac ſe proferet. Tum veſtri vobis poteſtatem faciemus; permittemus omnia. Poſtremò ſic habetote; quicquid in hac parte geritur, non inuidiâ vllâ, ſed veſtrâ à nobis eſſe causâ prouiſum. Hæc prudentiſſimorum patrum ad querulos & moleſtos interpellatores eſſe potuit oratio. Vterer hac eâdem ad vos (optimi Adoleſcentes) ſi non ij eſſetis, quos neque præpoſtera libertas illa delectet: quíque ita perſuaſum haberetis, non ex neglectu decoris vllo, ſed magno ex amore veſtro hoc qualecumque eſt, eſſe profectum. Iſti verò criminatores noſtri quid tandem vltrò litem ſuam faciunt? quid ad eos iſtud pertinet? non enim manare hoc in omnes inſtitutum voluimus: non delere memoriam veterum, etiam turpiſſimorum, aggreſſi vnquam ſumus, aut fieri poſſe ſperauimus. Domeſticum totum illud diſciplinæ exemplum eſt; ad vſum ſcholarum, & adoleſcentulorum noſtrorum captum quæſitum: ne, ſi repudiare omnino propter paucarum paginarum laſciuiam oporteret, carerent qui in ceteris eſt elegantiæ fructu: ſin paſſim per bonorum ſpeciem etiam vitioſa permitterentur;

rentur; hoc ſe miſeri tanquam veneno quodam ac peſte conficerent. Eſt vtilium & optimarum rerum in vtendo modus aliquis, non tenerrimæ ætatis, ſed maturo ac prudenti moderatorum conſilio ſtatuendus. Hunc nos aſſequi ſaluberrimo hoc remedio iampridem ſtuduimus; & ſumus, niſi fallimur, adepti. Idque adeò ſpectatiſſimorum adoleſcentum, qui in ſcholis noſtris ad ſpem reipublicæ ſuccreſcunt, tanta morum integritas, pietas, innocentia, caſtitas declarat. De quorum laudibus, ne vnà prædicare noſtras velle videar, plura hoc loco non dicam. Sit hoc in vniuſcuiuſque noſtrûm conſcientia infixum atque tacitum argumentum; quantum ad tuendam inſerendámque probitatem valeat legendi delectus ille, maiorum arbitrio temperatus.

Sed hæc (Adoleſcentes) quæ ſunt hactenus à me diſputata, priuatim ad veſtram illam ætatem attinebant: vt quid à nobis informatoribus veſtris propoſitum ei eſſet, intelligeretis. Poſtrema vobis & ad reliquas vitæ partes vtilis, & cum ceteris communis erit oratio. Nullum ea librorum peſte venenum præſentius; nihil vel attingendum parciùs, vel cautiùs declinandum putatote. Serpit hæc paulatim contagio ac vigorem omnem honeſtatis extinguit: ſenſimque conſuefactos turpiſſimis rebus animos primùm ad audienda tractandáque liberiùs, mox probanda ac patranda flagitia, prolectat. Per hæc initia, ſceleratiſſimorum hominum deſperatiſſimus furor emerſit: hoc execrandarum

libidinum fœdiſſimarũmque voluptatum pabulum eſt. Quod cùm de veteribus ipſis dici conuenit, quorum conſuetudinem ſola excuſat eloquentiæ aut eruditionis vbertas; tum multo ſanè magis de recentioribus ac vernaculis: à quibus, quoniam ne attingere quidem ſacroſancta patrum auctoritate licet; abhorrere hominum genus omne, ætatem omnem neceſſe eſt. Neque tanti cuiquam eſſe debet inaniſſimæ voluptatis ſenſus, vt eum cum tantæ maieſtatis offenſione, cum innocentiæ caſtimoniæque labe, cum certiſſimo denique animi interitu compenſatum cupiat. Hoc ſi in præſentia fuero conſequutus: ſi vos mea hæc oratio ad huius periculi pertimeſcendam deuitandámque magnitudinem incitatos dimiſerit: ſi aut inueteratam omnes peſſima quæque legendi conſuetudinem deponere, aut nondum initam reiicere perpetuò ac repudiare conſtitueritis; habebo quod vtriſque noſtrûm grauler: ac percommodè hunc cùm à me dicendi laborem collocatum, tum à vobis audiendi ſuſceptum arbitrabor.

DE DISCENDI RATIONE: Aduerſus Craßi dictum, LIB. III. *de Oratore :* Niſi quod quiſque citò potuerit, nunquam omninò poſſe perdiſcere.

ORATIO XI.

Dicta ab Rhetorices Auditore.

QVICQVID eſt à ſapientibus olim & eruditis hominibus dictum, (auditores humaniſſimi) ſi id tanquam ab oraculo acceptum probari omnibus, miniméque quale ſit, inquiri oporteat; nihil eſt cur ego vos non tam orationis huius auſcultatores, quàm controuerſiæ diſceptatores adhibeam. Quod enim è Cicerone modò depromptum ſuſceptæ à me diſputationi propoſitum eſt : *Quod citò quiſque non potuerit, nunquam omnino poſſe perdiſcere*; eiuſmodi eſt, vt ſiue auctoris grauitas requiratur, maior eſſe nulla poſſit; ſiue pronuntiandi ratio atque firmitas, nihil pulchrius aſſeuerari potuerit. Nam eſt illa Lucij Craſſi ſententia, hominis cùm eloquentiſſimi, tum opinionis in artibus doctriníſque tantæ, quanta de eo eſſe debuit, qui vnus omnes

peruidiſſe animo ac comprehendiſſe putaretur. Tam eſt verò id ab eo copiosè, Cicerone teſte, declaratum, vt non per occaſionem imprudenti excidiſſe, ſed ab eo ex animi ſententia verèque prolatum appareat. Quare ſi, vt antè dixi, quicquid ex veterum ſenſu depromptum afferatur, nihil ſit in eo præter eius, vnde dicitur, auctoritatem, præſtandum: habetis in eo quod oppugnare conſtitui ſumma ad fidem omnia; nihil vt mihi ſit præter ſingularis impudentiæ crimen relictum. Sin eſſe poteſt etiam victæ oppreſſæque hominum auctoritate ac gratia veritati locus aliquis: ſi apud eruditos atque acres rerum æſtimatores, plus cuiuſmodi ſit illud quod dicatur; quàm à quo dicatur, momenti habet ac ponderis: bono ſum animo in hac cauſa (auditores) ita mihi omnia præter auctoris vim apprimè in dicendo affutura confido. Nec illud tenuitatem imbecillitatémque noſtram mediocriter ſubleuat: quod id mea oratione pugnabo, illúdque perficere conabor, quod ſi aſſequi potuero, non modò de vobis, quorum cauſa plurimùm cupio, ſed vniuerſis earundem litterarum ſtudioſis benè meritus videbor. Quid enim in hoc ſtudiorum tam difficili ac laborioſo curſu præſtantius poſſit accidere, quàm ſi cuius opera id euellatur, quod alacritatem ardorémque omnem, non dicam retardare ſed ſupprimere ac reſtinguere penitus poſſit? Atqui id quod ſuperiùs à Craſſo dictum retulimus, tale eſt, vt qui ſibi noſtrûm illud perſuaſerit, omnis ei conſequendæ diſciplinæ

ſpes, omnes diligentiæ atque induſtriæ nerui, omne laboris & aſſiduitatis ſolatium amputetur. Plus aliquid dico (auditores !) Niſi hoc vno conſtituto, puerilem omnem inſtitutionem ruere ac collabi funditus; omnéſque omnium artium ludos occludi atque aboleri perſpicuè demonſtrauero; nihil iam cauſſæ ſit, quin veriſſimè ſenſiſſe illum, vaticinari me atque inſanire iudicetis. Quod vt non minùs verè quàm audacter à me denuntiatum eſſe, res ipſa doceat; primùm illud conſtituam, quid & quale ſit id de quo diſputatur: vt eo tanquam fundamento poſito, viâ omnis atque ordine procedat oratio.

Statuit is igitur, quem ſuprà commemoraui, L. Craſſus, cùm de perfecto abſolutóque oratore apud M. Ciceronem diſputat tantâ facultate, tantáque artium omnium cognitione ac ſcientia, ſummum illum, quem animo deſcribit, oratorem eſſe oportere; vt in omni ſit eruditionis genere doctrinæque verſatus. Itaque non hiſce duntaxat communibus litteris, quæ ad humanitatem pertinent, armatum eſſe atque inſtructum: ſed & fontes ipſos attigiſſe ſapientiæ; vnde identidem non vulgare quiddam ac quotidianum, ſed arceſſitum atque exquiſitum depromat. Ac ne quem fortè tantarum aſſequendarum rerum deſperatio ab eloquentiæ ſtudio deterreret; negat ingenioſo ac ſolerti viro laborioſum hoc admodum eſſe: *faciléque addiſci omnia, ſi & habeas qui docere fideliter poſſit, & ſcias ipſe diſcere. Res enim*, addit poſtremò,

ſic mea ſententia ſe habet, vt niſi quod quiſque citò potuerit, nunquam omnino poſſit perdiſcere. Honeſta ac ſpecioſa ratio, & aſpectu ipſo faciéque probabilis. Sed ſi mihi quam ſpero facilitatem audientiámque præſtiteritis, nihil ea fallacius vnquam, aut pernicioſius dictum ſtatuetis. Nolo hîc cum Lucio Craſſo, aut alio quoquam veterum, quaſi cum laruis atque vmbris inane certamen ſuſcipere. Dari mihi alium ex eo grege atque iſtiuſmodi errore quempiam volo, quem primùm omnium vel Diuinâ animi indole præditum, vel nimiâ quadam & inſatiabili curioſitate fuiſſe neceſſe eſt: vt ſiue omnia citò didicerit, ſuo nos exemplo experientiáque confirmet: ſiue nihil aſſequi potuerit, quo de omnibus doctrinis id pronuntiaret, in nullâ non ſui ingenij periculum induſtriæque fecerit. Ad eum igitur ſi ego litterarum addiſcendarum cupidus accedam; rogem quid in re tanta capiendum conſilij putet; exploret, opinor, quantum ſolertia ac celeritate diſcendi valeam, aut hoc probare priùs atque experiri iubeat. Qui ſi me paululum in his quæ traduntur percipiendis retinendíſve tardare ac cunctari deprehenderit, reiiciat illico, atque vt minimè idoneum ab hac dicendi contentione deterreat. Quid ita? poſſum enim quod modò aſſequi nequeo, labore poſtmodum ac ſtudio perrumpere. Sine me; vſu ingenij mei vires atque aſſidua exercitatione induſtriam procudam. Non patior, inquit, nec ad vllam artem te dimitto. Gratis iſta, & ad inane tarditatis ſolatium ab imperitis

iactantur. Res porrò ita ſe habet: niſi ea quàm primùm, ad quæ tete applicueris, perſpecta animo ác comprehenſa teneas, fieri omnino vt vnquam diſcas non poteſt. Ain' tu verò? ad diſcendas artes tanta ingenij celeritate opus eſt, vt arripienda illico ſint omnia: neque quicquam naturæ noſtræ aut ætati ſpatij ad ſeſe corroborandum confirmandúmque relinquatur? Obſecro vos! quanta in pleriſque noſtrûm caligo mentis? quanta hæſitatio? quanta denique ob tarditatis conſcientiam deſperatio ſciendi futura eſt, ſi quàm ab iis arroganter, tam verè ſit iſtud allatum? atque ego, homo ſcilicet rudis, magnum aliquod malum litteris noſtris ſcholíſque omnibus interitum atque internecionem ex ea opinione impendêre modò dixeram. Quaſi verò non antè naturæ omnis ordo, rerúmque inſita ratio ac diſpoſitio tollatur. Quęro enim, qui ità diſputant, ecquem in rebus ortum atque inchoationem; quod, vbi ortæ fuerint, incrementũ ac progreſſum eſſe ſentiant. Credántne perfecta & abſoluta exire ſtatim omnia, nulla vt acceſſione paulatim veluti fabricata perpolitáque ſimul eruperint, vnà ad firmitatem & maturitatem perueniant. Atqui huic communis quædam naturæ vox conſenſióque reclamat. Quam ſi illi non audiunt, miſeri prorſus ac ſtupidi ſunt; inepti, ſi diſſimulent; improbi verò ac maleuoli, ſi nos audire prohibeant. Egóne cùm ſtirpes ac ſemina paulatim adoleſcere videam; cùm ſuos ineſſe in animalibus corporum viriúmque proceſſus; in hominibus con-

firmari pedetentim rationis ac iudicij vſum intelligam; mentis in iiſdem ad diſcendum aciem quibuſdam velut gradibus excitari atque augeſcere dubitem? Quid aliud eſt ſtatim percipi omnia ac comprehendi animo dicere, quàm ætatum ordine perturbato in pueris adeo ipſis iudicij vim, quanta maxima eſſe poteſt, repentè conflari; &, quod de vetere poëta ſumptum eſt, *iuuenes illico velle ſenes fieri?*

Video quid contra hæc allaturi ſint. Non enim de pueris id fortaſſe dictum opponent: firmari in iis indolem, verum eſſe: nec ſummam illam ab eo genere vim eruditionémque requiri. De grandioribus fortaſſe, ac maturæ iam vt ætatis ſic ingenij hominibus, veriſſimam huius eſſe dicti fidem. Reſpiraſtis mecum (auditores) ita ægrè, quod ad nos attinet, magno omnes ex metu ſumus erepti. Bono deinceps animo ac ſecuro eritis; ſic vt non iam de veſtro periculo ſoliciti, ſed alieni diſceptatores atque arbitri ſedeatis. Quanquam poſſum hoc ego quod expreſſum eſt, eſſe contentus. De ſe videant, quorum ætati non nobis cauendum, ſed noſtræ potiùs ab iis prouidendum ac conſulendum eſt. Verùm ne ſic quidem tutò in hac ætatis veluti ſtatione præſidióque conſiſtendùm nobis eſt; quin vltrò conuicta huius erroris falſitate, hoſtem ipſum, alienis licèt caſtris infeſtum, toto campo deiiciamus.

Negant itaque iidem, qui otioſè quamlibet nobis poteſtatem diſcendi faciunt, eum qui

iam adoleuerit, quod celeriter aſſequi nequiuerit, vnquam poſſe perdiſcere. Iſtúdne igitur de vniuerſo genere doctrinæ, diſciplinísque omnibus, an de ſingularum priuatim cognitione contendunt? Dicam quod volo clariùs. Omnésne, inquam, ad vnum artes putant eſſe ei, qui ſemel attigerit, ſi ſit vnquam complexurus animo, ſubitò, & quaſi raptim exhauriendas? An id in vnâ duntaxat aliquâ, grāmaticâ fortaſſis, aut ea, de qua eſt ſermo potiſſimùm, dicendi arte ſtatuunt, repentè vt aliquis grammaticus, aut orator exiſtat? Alterum horum profectò ſi dixerint; ſi diſciplinas omnes ab non inepto & perſpicaci vir, obreui ſpatio comprehendi poſſe exiſtiment: facilè vel experientiâ ipſi ſuâ, vel infinita rerum varietate victi ſuccumbent. Neque enim, opinor, ſi eò doctrinæ euaſerint, ſui adeò contemptores erunt, non vt magno ſibi videri velint tantam eruditionis copiam conſtitiſſe. Quare in vno conſiſtāt ſcientiæ genere neceſſe eſt, quod qualecunq; tandem arripuerint, nunquam, vt leuiſſimè dicam, perficient, quin & operæ plurimum in eo, & aſſiduitatis collocandum videatur, & temporis. Nec eſt vna minimarum in vita hominum artium, quæ non vel induſtriæ plurimùm requirat; ſi quis in ea præſtare ceteris atque excellere cupiat. Præſtantiſſimos olim fuiſſe pictores accepimus, qui cùm ætatem omnem in eo ſtudio, præcipua ingenij laude, & hac vna in re collocaſſent, ita ceteros omnes artificij dignitate atq; excellentia defixos tenerent, ſibi vt ſolis nun-

quam ſatisfacere poſſent. Ergo alij ob id *caci-zotechni*, quaſi artis ſuæ atq; operę vituperatores appellati: alij pendentibus è tabella titulis non, *Ille fecit*, ſed, *Ille faciebat*, vulgò inſcribere ſoliti, quaſi inchoatâ ſemper arte, nondúmque ad cumulum perductâ, ampliùs in dies aliquid ac præſtantius reſpicerent. Poſſum idem de ſtatuariis, de architectis, aliíſque id genus opificibus dicere; quorum ne ab infimo quidem impetraueris, vt non in eâ quam exercet arte, difficile quidpiam & laborioſum eſſe fateatur. Hoc igitur quod viliſſimis iiſdémque non multùm arduis in rebus probare nemini potes, mihi in abſtruſiſſimis artibus, in ampliſſima rerũ magnarum varietate, in humana diuinâque ſapientia perſuadeas? Operæpretium eſt de iis audire qui iſtud iactitent, quodnam artium genus definiant huic addiſcendi comprehendendíque celeritati præ cæteris opportunum. Audeant mihi vel vnam aliquam nominare, in qua quãlibet natura ingenióque paratus, niſi diu ſtrenuéque ſe exercuerit, repentè poſſit eſſe perfectus. Nolo hîc extremæ pueritiæ tempora, ac velut diſciplinarum omnium incunabula retexere: ne quod ab iis paulo antè conceſſum eſt, rurſus in diſceptationem ac controuerſiam vocetur. Sit hoc huius artis præcipuum: grandiores atque exquiſitiores illas, ſed elegantes eaſdem atque ingenuas videamus.

Tu igitur horum decreto poëticam, aut oratoriam non priùs combibere cœperis, quàm omnem earum artium rationem perfectè cu-

mulatéque calleas. Ego verò fieri iſtud neceſſariò oportere nego: factúmne ſit aliquando, nihil diſputo. Fuerit aliquis tanta ingenij bonitate præditus; vel tam diuinâ potiùs atque eximia ſorte natus, vt non magno ea labore pæne dormienti ſibi oblata, atque in ſinum coniecta quæſierit: nego id tamen, qui in hiſce artibus præſtiterint omnibus contigiſſe: nego eorum pleriſque. Quid ſi ne vnum quidem ea felicitate reperiri poſſe dixerim? Recurrendum, opinor, ad veterum ſomnia, qui ſeſe dearum per viſum oblatâ ſpecie, aut animarum ex aliis in alia tranſitu corpora repentè factos poëtas prodiderint. Sanum quidem ac ſobrium neminem inuenies, quem non diuturna priùs aſſiduáque meditatio ad earum artium peritiam aut ſanè complementum perduxerit. At ego vide quàm non inops ad hanc cauſam tuendam, quanta exemplorum copia inſtructus accedam. Dari mihi vel vnum ex tanta poëtarum, tanta oratorum multitudine poſtulo; qui id quod tute tam magnificè iactas, ſuo ipſe periculo didicerit. Ego non vnum aliquem, paucóſve de multis; non gregarios atque inferioris ordinis, exigui nominis plures appello: ſed eruditione præcipuos, auctoritate principes, copia pæne innumeros oppono. Nec aliud in eorum commemoratione tam vereor, quàm ne nimis communia ac peruagata videar attigiſſe.

Quid enim ea dici attinet, quæ nemo profectò veſtrûm ignorare poteſt, quæ de Virgilio, Statio, Lucano, Seneca quotidie in ſcholis au-

diuntur? Quo aut ille diuinum atque immortale opus labore ſtudióque procuderit: aut ij longè quidem inferiores, ſed nec ignobiles, & omnium opinione probatiſſimas lucubrationes ediderint? Quamobrem aut illos contemne ſi potes; quî autem ſine ſumma impudentia potes? Aude inquam illos negare poëtas vnquam fuiſſe. Nihil in ea arte vidiſſe Virgilium, ineptum Statium, inſulſum Lucanum, imperitum Senecam; futiles ceteros, ac nihili homines pronuntiare non dubites. Magna enim omnes contentione, difficiléque, quod tam parabile, atque inuentu facile eſſe dictitas, poëtæ vt eſſent, ſunt adepti. Aut ſi iſtud ne tacitus quidem inducere in animum potes, dicere autem propalam, quòd in litteraria noſtra re pæne impium ac nefarium ſit, apertè non ſuſtines, dubitabis quin eiuſdem eſſe poſſit, & tardè diſcere & ad ſummum eius quod ſuſceperit, ac perfectum, venire? Atque hæc in poëtica, in hac, inquam, arte dicuntur, quam inſtinctu quodam atque afflatu mentis excitari potiùs quàm doctrinâ ac præceptis comparari, propè mortalium omnium conſenſus obtinuit. Quare, quo tandem animo eſſe ingenioſi illi poſſunt, cùm eo ſe genere doctrinæ excluſos ac deſtitutos intelligant, in quo momenti plurimum adid quod velint, ac præſidij, poſitum arbitrentur?

Quid in oratoria ſimile? quam ij qui ſeueriſſimè diſputant, naſci totam ex labore induſtriáque exiſtimant, faciliores, iidémque ſapientiores alij, vt ad eam plurimùm naturæ bonitas

conferat, perfici tamen ſine vſu diligentiæque aſſiduitate negant poſſe. Atqui ab ea potiſſimùm arte Craſſi decretum illud proficiſcitur. Quod eo mihi admirabilius ab eo homine dictú videtur, quòd ille idem eloquentiam artium omnium coniunctione aptam ac connexam eſſe nec immeritò putet. Nam cùm rebus omnibus accommodari vis illa dicendi poſſit, ſequitur vt non anguſtis fori iudiciorúmque finibus, nec agendis cauſis circunſcribenda ac definienda ſit; ſed in omnem diſputationis oram regionémque delata, nihil abs ſe, quò quidem peruenire hominum cognitio poſſit, cenſere debeat alienum. Igitur eidem, ſi modò retinere nomen ſuum velit, de Deo erit, rebúſque Diuinis, de animarum immortalitate, de ciuitatum ac rerumpublicarum generibus, de gentium ritibus & inſtitutis, de memoria, déque omni antiquitate diſputandum. Nihil in arte vlla aut ſcientia tam abſtruſum, támque varium eſſe poteſt ac multiplex, quò non ſiue ex rei veritate, ſiue ex illorum ſententia, perfecti atque excellentis oratoris penetret induſtria. Etenim ſapientiam illis ab eloquentiæ arte placet, non naturæ diuortio, neque grauiſſimorum hominum auctoritate, ac nulla denique alia ratione iudicióque ſecerni: ſed ignauia, primùm & indiligentium hominum conſuetudine, tum demum opinione vulgi factum; duplex vt ex vna profeſſio ac facultas conſurgeret. Hoccine igitur conſtantis ac conſentientis ſecum iudicij eſſe dixerim putare eundem vaſtiſſimam ac propè

infinitam rem eſſe eloquentiam: & nihilominus raptim eſſe ei, qui illam diſcere velit, aut nunquam addiſcendam? Quid aliud eſt quàm nunquam omnino percipi eam poſſe credere? An cuiuſquam tanta vis ingenij eſt, quæ non vt ſingularum difficultatem ſuperet, vniuerſarum tamen mole varietatéque frangatur?

Verùm nihil iſta magnopere oratori neceſſaria videantúr. Demus ei ſecluſum aliquod anguſtiúſque curriculum, quod breuiori tempore ac minori cum negotio percurrat: reſtabunt tamen quinque illæ partes, totidémque Ciceronis iudicio ampliſſimæ diſciplinæ, quarum concurſu vis omnis dicendi continetur. Atque hæc quidem quàm copiosè, quàm perplexè, quàm variè iactata doctorum hominum lucubrationibus! cùm diuerſis velut itineribus, ita præceptis ac rationibus aditus eſt ad eam doctrinam patefactus. Quod quàm neceſſe fuerit, non video, ſi eôdem quaſi aliud agentibus nobis, ac ludibundis contendere licuiſſet. Nec mihi tu curioſorum hominum ſuperuacaneã in re facili diligentiam obiicito; neque aliud eſſe dicito, eiuſmodi artes ad vſum transferre; aliud ita tractare, vt in earum commentatione domicilium velut quoddam abundantis otij conſtituamus. Primùm enim cuius tantæ arrogantiæ, ne dicam ſtupiditatis, eſt, grauiſſimorum ſapientiſſimorúmque hominum ſtudio vel auctoritati detrahere? Iam verò innumeros ex eo, quod maximè iactas, laborioſorum occupatiſſimorúmque hominum numero proferam, qui ea

de re commentati aliquid ſunt, aut eius, quam tantopere eleuas ſcientiæ difficultatem, perſæpe ſunt grauitérque teſtati. Quin tu age, Græcorū ac Romanorum hiſtorias recenſe. Magnum vtrinque tibi oratorum agmen occurret: verùm turbam ipſam ſi ita lubet, miſſam facito: in principibus viris cuiuſmodi ea res ſit experire. Enimuerò illinc abſtemius tibi, ac lucernam oleúmque redolens occurret Demoſthenes: hinc Romanus alter vt famâ atque facundiâ par, ſic aſſiduitate diligentiáque non inferior. Iſocratem enim omitto, qui tametſi dicendi princeps eſt habitus, continuit ſeſe domi tamen, & à forenſibus negotiis perpetuò feriatus eſt. Taceo ceteros, quorum pauciſſimi non modò Romæ, ſed vel Athènis, vbi eloquentiæ cum primis ſedes fuit, præſtitiſſe in eo genere dicuntur. Ex quo perſpicuè quanta ea res ſit cognoſcimus, quàm in tantâ ingeniorum ſubtilitate, tam aſſiduâ exercitatione, tam ingenti mercede propoſitâ, non multi tamen perfectam & abſolutam aſſequi potuerunt. Hos tu igitur, quos ſuprà commemoraui, principes tarditatis aut ſtultitiæ condemna: tarditatis, ſi non citiùs potuerunt: ſtultitiæ, ſi noluerunt, quod tam facilè poſſent, citra curam ac moleſtiam conquirere.

Iam qui minimatum artium patrocinio deiecti ſunt, qua tandem fronte, qua ſpe ad altiores præſtantioréſque confugient? Audire geſtio quid de philoſophia theologiáque præclari illi doctrinarum arbitri pronuntient. Quas

vtinam artes quàm facilè dicunt, tam facere poſſent vt planæ atque expeditæ perſpicacibus viris occurrerent. Haſcéne igitur breui tempore decurri atque addiſci oportere putabimus? Quî minùs quàm reliquas; cùm neceſſarium vbivis ſit, aut nunquam, aut citò perdiſcere? Atque ego vti in aliis paulò antè feci, non à me errorem iſtum refellam. Conuincam clariſſimorum in his doctrinis hominum exemplo, vel teſtimonio. Qui profectò cùm in iis præcipui atque excellentes euaſerint, didiciſſe ſe eas potuiſſe declarant. Quòd diu multúmque ſunt in earum conquiſitione verſati, neque citò ſe eas adeptos, & laborioſas eaſdem atque impeditas eſſe coarguunt. Me verò ætatis noſtræ pœnitet (auditores) cùm maiorum noſtrorum patientiam in his ſtudiis cum ſummâ ſolertiâ coniunctam intueor. Qui cùm aſſiduâ opera pæne omnem in his ætatem contriuiſſent, nihil ſe tamen poſtremò ſciuiſſe, túmque demum ex hac vita rapi, cùm intelligere aliquid cœpiſſent, magno ſuo dolore confirmabant. Ecce tibi cum natura moriens Theophraſtus expoſtulat: anguſta nimiùm conceſſa ſibi vitæ ſpatia queritur. At qui vir quantúſque? Quo nec philoſophiæ ſtudiis addictior quiſquam; nec dicendi facundiâ ſuperior; nec variarum rerum accuratiſſimâ ſcientiâ clarior fuit. Quâ porrò ætate? iuuenem fortaſſe credas immaturo obitu, quaſi medio è vitæ curriculo reuocatum. Credo, qui nonageſimum iam ætatis annum viderat, ſatis vixiſſe ſe negaret, ſi nihil aliud in vitâ præter vi-

tam expeteret: ſi non amore doctrinæ atque inexhauſta quadam ſiti flagraret, quam longiſſimi diuturnitas temporis explere nondum potuerat? Hauſerat hanc cum ſcientia ſciendi auiditatem à magiſtro diſcipulus: qui præter viginti totos annos, quos in audiendo Platone poſuerat, quid aliud egit in vita, niſi aut noua per ſeſe quotidie inuenit, aut alios ad eandem diſciplinam inſtituit? Quid hîc ego reliquos appellem, quos canitie iamdudum ac ſenio confectos priùs in ipſo diſcendi ardore mors oppreſſit, quàm vel laboris fatigatio vlla, vel doctrinarum quaſi decurſo ſpatio iuuentus poſtremò finis aliquis atque exitus retraheret?

Quanquam vtcumque error iſte diſſimulari poſſit, quandiu nihil præter inſcitiæ arrogantiæque crimen in ea opinione cernatur. Nunc verò in Diuinis Chriſtianíſque diſciplinis cùm citra impietatem oſtentari tam expedita facilitas nequeat; etiámne idipſum vſurpare impudenter audebimus? Impietatem dixi. Quæ enim maior eſſe poteſt, quàm ita de hiſce doctrinis loqui, nihil vt oratio tua ab noſtræ ætatis hæreticorum ſacrilega ac nefaria voce diſſideat? Quid enim tam crebrò ab iis vſurpari audias, quàm ſacrarum literarum, & vtriuſque Teſtamenti planam doctrinam ac facilem? Adeò vt ne mulierculas quidem ab earum tractatione repudiandas cenſeant. Irrident nos, cùm in iis intelligendis dies noctéſque conſumimus, hebetéſque eſſe vulgò atque inſanire clamitant, qui cæcorum more lucem in meridie

quæramus. Sibi contrà idem, quod de Cadmi militibus vetuſtas finxit, atque eo etiam ampliùs contingere, quòd nullo ſatu, nullóque cultu, ſponte ſua illicò theologi ac ſapientes prodeant. An alia noſtrorum hominum vox eſt; qui citò addiſcenda omnia, víxque vllo interiecto medio, ad ſumma diſciplinarum atque artium ſubinde conuolandum exiſtimant? Libet mihi cum tam abſurda periculoſáque ſententiâ non tam rationibus, quàm eorum decretis pugnare, quorũ cùm immortalis in eo genere eruditionis fama in dies viget, tum vetuſtas ipſa, vitæque ſingularis integritas, omni & inuidiæ ſuſpicione & ſimulationis liberat. Quibus enim credendum potiùs, aut quorum, in re tanta, arbitrio ſtandum eſſe iudicabimus? Eorúmne qui quod ipſi neſciunt, quod experti nunquam ſunt, nullo præter arrogantiam atque improbitatem duce atque auctore peruicaciſſimè tuentur? An eorum quos præter eximiam, vt antè dixi, cum eruditione probitatem coniunctam, conſtans tot ſæculorum iudicium approbauit, mortalium omnium conſenſus aſſeruit, ſacroſancta Eccleſiæ auctoritas vindicauit? Non dubium eſt quin aut mecum ipſi, aut quilibet alius, qui paululum conſilij ac rationis habeat, æſtimaturus ſit.

Sed non committam, vt in re perfacili, miniméque omnium confeſſione dubiâ, præſtituti mihi ad dicendum temporis ſpatio, aut patientia ipſe (auditores) veſtrâ, facilitatéque, quâ me tam ſingulari hactenus audiuiſtis, abuti videar velle. Cuius non mediocrem, vti ſpero,

fructum domum vobiſcum reportabitis, cùm ex hac noſtra oratione didiceritis (quanquam iſtud quidem probè intelligebatis, neque enim obſcura res fuit) ſed vtcunque tamen perceperitis: nemini vnquam quamuis diuturnæ in literis operæ ac temporis pœnitendum. Vt cùm infinita res propemodum ſcientia ſit, tum cùm ad eam aliquatenus progreſſi eritis, neque falſa aſſequendi deſperatione diligentiæ veſtræ curſum inhibeatis; & plurimùm ſemper deeſſe vobis ad ſummam cuiuſlibet artis, ne dum doctrinarum omnium putetis. Hoc ita vt dixi, perſuaſum habere vos, reliqua vt prætercam, quotidiana illa veſtra in literarum ſtudiis alacritas ac conſtantia prædicat. Quam quidem hoc tempore cohortari, neque otij noſtri, nec ætatis aut imbecillitatis eſt; nec poſtremò neceſſitatis. Sunt alia vobis partim ex maiorum obſeruantiâ, partim ex ſtudio cuiuſque ac voluntate, non illa quidem impreſſa leuiter; ſed infixa in animis penitus incitamenta diligentiæ. Quæ vobis perniicioſa hac arrogantíque perſuaſione, quaſi nube ac caligine diſcuſſa, illuſtriora in dies atque efficaciora fore confido. Mihi quidem, qui præcipuus huius orationis finis extitit, magnum ex ea diſputatione tarditatis meæ ſolatium acceſſiſſe; multúmque ad cœpta ſtudia proſequenda virium atque animorum additum fuiſſe, faciam vt inp oſterum intelligatis.

DE SCHOLASTICI DELECTVS ſeueritate Præfatio.

ORATIO DVODECIMA.

CVM vos intueor & contemplor (adoleſcentes) cúmque vos hilares & erectos ſcholæ huic, & orationi intereſſe video; non in me duntaxat, cuius intereſt maximè, ſed in ceteros omnes eadem ex ore veſtro alacritas redundat. Videmus enim in hoc grege neminem, qui non eximium quendam animum afferat ad iſta ſtudia; vt quæ pulcra & præſtabilia eſſe certò ſibi perſuaſerit: nihil, quo quidem ea conſequi poſſit, laboris defugiendum exiſtimet. Sed eſt aliud præterea cùm ad præſentis iucunditatem temporis, tum ad futuri ſpem fiduciámque præcipuum: quòd præter paucos quoſdam (vellem omnes poſſem dicere) ſed præter paucos, vniuerſi à me probati ac delecti ad hunc ordinem ſcholámque perueniſtis. Eſt illud quidem nouum & ſingulare genus inquiſitionis (adoleſcentes) ac præter conſuetudinem à nobis fortaſſe factum, vt is cuia res eſſet, ſuam ſibi ad ſcholam tironum delectum inſtitueret. Quod quidem ſi cuius animum nouitate ipſa & admirabilitate percuſſerit, antequam ea dicere

incipio, quæ ad auctoris interpretationem diſputanda videntur, facti huius conſiliíque mei rationem vobis exponam.

Duo mihi ſemper ad ſcholarum diſciplinam conſtituendam, huius etiam noſtræ dignitatem ſtabiliendam, viſa neceſſaria ſunt (auditores.) Alterum, nulli vt niſi idonei ad hanc præcipuè transferrentur: alterum, vt eoſdem ipſos, præceptores penitus cognitos atque exploratos haberent. Quod vtrumque etſi iamdudum agitaſſem animo, & in hac perpetua docendi functione conſequi ſtuduiſſem: tamen in hoc velut extremo curriculo acriùs perſequendum putaui.

Itaque in maximis meis occupationibus id mihi oneris impoſui non inuitus, vt habendo delectui præeſſem ipſe, ac cuiuſque ingenij, induſtriæ, progreſſus denique periculum facerem. Eſt enim, id quod ſuperioribus annis didiceram, in ipſo anni operæque curſu probare ſingulos, atque explorare, difficile. Siue in tanta diſcipulorum turba pleroſque fallere ac latere neceſſe eſt: ſiue infinitas ad eludendum habet artes; ac velut inuolucris quibuſdam tegitur adoleſcentulorum natura: ex quo fit, vt vix maiori anni parte confecta certum de vnoquoque iudicium à magiſtris informari poſſit. Quæ res quantum & de ſcholarum vtilitate detrahat, & doctorum obſit induſtriæ, ne hoc loco demonſtare neceſſe ſit, experientiæ noſtræ ac teſtimonio tribuite. Et quidem laudari apud Xenophontem Cyrum illum audio, quòd in copio-

ſo ampliſſimóque exercitu non modò centurio , ſed ne gregarius quidem miles eſſet vllus, quem non priuatim agnoſceret , nominatímque ſalutaret. Quod vtrum verè præſtiterit ille, an, vt cetera eiuſdem operis, ſic iſtud ad effigiem potiùs optimi imperatoris, quàm ad hiſtoriæ veritatem expreſſum ſit, nihil ad rem pertinet: illud quidem præclarum à ſapientiſſimo viro habitum, atque ad imitandum ducibus & imperatoribus fuiſſe propoſitum videmus. Præcepiſſe verò etiam iiſdem alterum meminimus pari & ſapientiâ & elegantiâ philoſophum: Syneſium opinor, qui in eo quem ad Arcadium Imper. ſcripſit, de regni adminiſtratione libro, vehementer hoc principi commendat, ſuos vt milites norit omnes: ob ídque cum illis verſetur aſſiduè, ſéque ad illorum vſum ac conſuetudinem, adeóque militarium exercitationum ac ceterarum rerum ſocietatem demittat. Quod delecto iam & conſcripto milite faciendum illi cenſent, hoc in deligendo tenuiſſe Romanos à Polybio didicimus. Etenim ſimulac vexillum in arce poſitum erat, diéſque iuuentuti profitendo nomini dicta, adfuiſſe Tribunos cum Coſſ. narrat, ac legendis centuriandíſque militibus præfuiſſe.

Statuite nunc (Adoleſc.) cuiuſmodi meum illud factum ſit. Vtrum quod illi in armata militia decreuerant, hoc ad litteratam à me tranſlatum reprehendi ob nouitatem debeat, an ob vſum vtilitatémque laudari. Sed quid ego veſtrum hîc iudicium expecto? Non enim de vo-

bis magnopere laborare debeo, qui merito veſtro, iudicio autem noſtro, ordinem hunc adepti, extra caſum omnem & diſcrimen conſtitiſtis. Occurrendum verò præſertim iis, qui à nobis repudiati, ac reiecti, hac velut cenſoriæ ſeueritatis notâ inuſtos ſe eſſe moleſtiùs ferunt. Qui ſi ſuum intra ſe dolorem taciti premerent; vel ſi mihi per illos eſſe quieto liceret: vterer alio genere, vel nullo potiùs præfationis (auditores:) puerili hoc certè, miniméque veſtris auribus digno non vterer. Nunc cùm obſtrependi, interpellandi, adeundi, allegandi modum ſibi nullum ſtatuant, quid eſt quod me facere oporteat? Opinor, vt me paululum vlciſcar hac oratione, ac ſtomachùm omnem, quem mihi importunitate ſua faciunt, in illos erumpam. Nam fautoribus eorum ac ſuffragatoribus quos plerunque clariſſimos, aut gratioſiſſimos adhibent, iraſci omnino non debeo. Qui prudentiùs meo iudicio, & pro iis ipſis, quorum cauſsâ laborant, commodiùs agerent, ſi in nugas iſtas grauitatem ſuam & auctoritatem minùs interponerent. Sed vt æquo animo ferendi vel diſſimulandi ſaltem iſti, ſic illi nobis acerrimè prohibendi ſunt: vtriſque verò commonendis oratio mea ſeruiet, quanta ſit in ſcholaſtico illo delectu conſtantia retinenda. Nam ea demum altera, ſi meminiſtis, cauſſa fuit, propter quam totum à me deligendi negotium cupidè ſuſceptum adminiſtratúmque eſſe dixi: quòd ea ratione confiderem plus aliquanto cautionis ac ſeueritatis

habiturum. Quod enim ceteris in rebus locum habet, id in hac reperiri non minùs arbitrabar: vt in ſua quiſque re eſſet, quàm in alterius obeunda, vigilantior. Tu probandos excutiendóſque, quos tuum ad numerum adiungas, alteri commiſeris: poteſt idem minimè ille rudis eſſe, & in eo procurando acer ac fortis. Quàm vultis gnauum & aſſiduum inquiſitorem fingite: minimè erit is tamen cum eo, cuius id refert, ſtudio ac vigilantia comparandus: cuius vt ex re bene adminiſtratâ præcipuus eſt fructus; ita parum commodè ſucceſsâ, non alienus dolor. Poſtremò ſi cui delectum mandaueris, is ſi aliter ac ſperatum eſt ceciderit, habes cui ſuccenſeas, de quo conqueri; cuius vel deſiderare prudentiam, vel facilitatem accuſare poſſis. Ego ſi in vobis adſciſcendis aberraro, quo cum illud expoſtulem, præter me mihi relictus eſt nemo. Quanquam vt illa contra cuiuſquam querelas iuſta ſit exceptio: habes quos tute ipſe tibi delegiſti: eatenus valet, eius vt vnius iudicium fuerit: non vt alter pari ad id poteſtate, diſſimili opinione ac ſententiâ præditus acceſſerit: Hoc enim in promptu eſſe poteſt: ego hunc repudiaueram: auctor alius fuit: inuito me ac reclamante receptus eſt.

Velim iſtiuſmodi quàm pauciſſimos eſſe, qui non communi ſuffragatione in eum ordinem conſcenderint. Nam vt nullos penitus niſi à nobis probatos, aut vtcunque tolerabiles habeamus, optari à nobis poteſt, & optatur quidem ſæpiùs: obtineri propter ine-

ptam quorumdam ambitionem & importunitatem non poteſt Verùm ſit illud ſatis, quicquid eſt vel incuriâ diſſimulatum, vel moleſtiæ remiſſum, vel precibus & aduocationibus expreſſum. Deinceps odioſi eſſe deſinant, ac ſeſe contineant ceteri : noſtróque nos arbitratu ſcholas iſtas moderari ſinant. Sed non licet. Vrgent, inſiſtúntque vehementiùs : machinas ad peruincendum omnes comparant : ac partim obſcurè & callidè, partim apertè, ſuffragatorum vel gratiâ, vel potentiâ nos oppugnant. His igitur edico omnibus, ac denuncio, ad hunc locum me inuito ne aſpirent ampliùs : ſi quid autem vi, aut precariò demum extorſerint, velut ex prætoris interdicto mecum illis acturum: atque vt eos in hac ſchola, & inter hæc ſubſellia conſiſtere patiar, nullo apud me numero ac loco futuros; niſi ſi cuius tam illuſtre ſtudium, támque ardens animus extiterit; vt & præteritæ ignominiæ ac reiectionis notam, & hanc recentem inuidiam poſſit eluere. Nam quid hoc illorum facto fingi poteſt iniquius? aut quò tandem euaſura iſtæc putamus, niſi illorum temeritati & ambitioni diſciplinæ ſeueritas obſiſtat? Tu neque iudicio præceptoris ornatus, & de communi ſententiâ præteritus, taménne inuitiſſimis omnibus perrumpes? tamen per vim quod voles efficies? tamen ego quem habere diſcipulum nolim, neque, vt velim, docere poſſim, habebo, docebóque vel inuitus? Vis eſt iſta quidem ac tyrannis (auditores:) illud verò magnopere dolendum; per eos, qui adit-

tores eſſe debuerant, hoc eſt per ſcholarum noſtrarum alumnos, ſcholarum libertatem ac dignitatem opprimi.

Vereor ne parum ſit de adoleſcentulis noſtris conqueri, quorum eſt ætas propter infirmitatem conſilij excuſanda magis. Quæ cùm, vt ſummo & prudentiſſimo viro placuit Ariſtoteli, non ratione gubernetur vlla, ſed impetu, ac doloris voluptatiſque ſenſu moueatur, coërcenda aut allicienda potiùs, quàm rationum momentis & ponderibus inclinanda videtur. Veſtra igitur, (puerorum parentes, ac propinqui) veſtra illa culpa potiſſimùm eſt; qui ſtultæ liberorum cupiditati velificantes, tantam ei diſciplinæ ſecurim infligitis, quam, vt leuiſſimè dicam, pleriſque propter ſeueritatem anteponendam putaſtis. Cuius autem prudentiæ eſt, quam in hiſce ſcholis integritatem ac conſtantiam adamaris, eam ipſam labefactari & infringi cupere: plúſque puerorum mœrori ac lacrymulis, quàm tuo ipſius iudicio, quàm æquitati, quàm publicæ vtilitati tribuere? Quid enim attinet, quos erudiendos inſtituendóſque tradideris, quorúmque curam alterius in fide depoſueris, huius in illis tractandis, & quaſi manu deducendis arbitrium ſequi nolle? Quid eſt aliud perturbare ac permiſcere omnia, ſi hoc non eſt? Tu ſi aliter docendum mihi præſcribas, quàm aut vſus ferat, aut faciendum ipſe iudicem, ne ſis quidem audiendus: cùm me aliò, quàm quò expedire ſtatuam, transferre diſcipulum meum iubes, diutiùs te quàm

neceſſe ſit, feram? Feres, inquit, ſi meum conſilium cognoueris. Volo enim celeriùs hunc ab eo confici doctrinarum curſum; quo maturiùs in lumen ac ſolem ex hoc veſtro puluere atque vmbraculis prodeat. Hoc quidem vſurpari vulgo à parentibus ſolet. Sed ea vox, ſi affirmatè atque ex animi ſententia dicitur; hominis eſt intemperanter illudentis ſcholis noſtris, ac litteris, maximáque harum rerum ac naturæ ipſius inſcitia laborantis. Etenim ſi in hoc diſcendi curriculo, idem, quod in ambulatione veniret vſu; vt quo concitatior greſſus eſſet, eo plus itineris ac ſpatij peragraretur, eſſet illa non inuidenda tibi, ſed in ceteris etiam adhibenda feſtinatio. At id ſecus ſe habet. Nam rapida illa præcépſque celeritas non contrahit diſcendi ſpatia, ſed longiùs profert: nec vt citiùs quò intendis, peruenias, ſed vt ne omnino peruenias, facit.

Credo miratos eſſe pleroſque veſtrûm (auditores) quid eſſet quòd, pro tanto ſcholarum numero, tantáque diſcipulorum copiâ, nequaquam ſatis multi hoc tempore inſignes atque admirabiles exiſterent: cùm præſertim multo illuſtriores hodie & faciliores artes eſſe videantur, tot eruditorum hominum vigiliis ac laboribus perpolitæ. Sed profectò mirari deſinet, qui ad ea, quæ dixi, conuertere animum voluerit, & cum doctrinarum varietate ac difficultate noſtrorum inconſtantiam ac mobilitatem conferre. Nam vt lepores ſcribit Xenophon hebeti eſſe viſu, propterea quòd cùm aſ-

ſiduè in curſu ſint, raptim omnia tranſeunt; nec liquidæ expreſſæque rerum imagines, ſed confuſæ ac perturbatæ ad illorum ſenſus accidunt: ſic dum iſti præcipites in ſcholis ac litteris feruntur; dum curſim obeunt, ac præteruolant ſingula; dum ſibi ad ea diſcernenda ac recolenda ſpatij nihil ſumunt; dum inchoata & adumbrata diſciplinarum notitia contenti ſunt; obruuntur infinitate rerum, & copia, ac paulatim hebetes obtusíque redduntur. Eſt ea verò querela non horum præcipua temporum; ſed ſanè peruetus; quam & pleríque, vt ſcimus, veterum monimentis commendauêre ſuis; & inter ceteros arbiter in Satyrico magno iſta cum ſenſu doloris effudit. *Quid ergo eſt?* (inquit) *parentes obiurgatione digni ſunt, qui nolunt liberos ſuos ſeuerâ lege proficere. Primùm enim ſicut omnia, ſpes quoque ſuas ambitione donant: deinde cùm ad vota properant, cruda adhuc ſtudia in forum propellunt, & eloquentiam, qua nihil eſſe maius confitentur, pueris induunt adhuc naſcentibus. Quòd ſi paterentur laborum gradus fieri, & ſtudioſi iuuenes lectione ſeuera mitigarentur; vt ſapientiæ præceptis animos componerent, vt verba atroci ſtylo effoderent, vt quod vellent imitari diu audirent, ſibi nihil eſſet magnificum, quod pueris placeret, iam illa grandis oratio haberet maieſtatis ſuæ pondus.* Hæc ille.

Sunt hæc, inquit, vt dicis. At ego, meus vt ille vehementer doctus ſit, non laboro. Sit modò leuiter tinctus; vt libatís ac deguſtatis ſingulis è ludo quamprimùm euolet. Quid au-

tem tuâ illud intereſt? meo enim periculo nihil hîc ſapiet. Hæc illorum oratio eſt. Noſtra verò iſta potiſſimùm: etſi tua vnius res ac periculum ageretur, tamen cùm tu me filij tui inſtitutioni præfeciſſes, magiſtrúmque delegiſſes, putare me, nec officij mei, nec humanitatis eſſe communis, in tanta ſtudiorum prauitate ac pernicie conniuêre. Sed non ita eſt. Non eius ſolùm damno, qui ſic inſtitutus eſt, peccatum erit (auditores,) latiùs patet hoc malum, & in publicam ſcholarum iniuriam atque infamiam redundat. Nam qui illum neſcio quem è ludo ac gremio noſtro, vbi aliquot annos hæſerit, rudem & imperitum emerſiſſe viderit, non id quod res eſt, ſuſpicabitur, quo minùs aliquid ſciret, parentis eſſe culpâ factum; ſed crimen in nos omne transfundet, accuſabit magiſtrorum inſcitiam, aut perfidiam: innocentes in inuidiam adducentur. Tu nomini ac ſcholis noſtris maculam inuſſeris: nos hanc à te mercedem operæ turpiſſimam erimus adepti.

Longiùs ſum, quàm ſtatueram, in hac querelâ progreſſus, (auditores) nec me præterit, dici alia iucundiora potuiſſe, & huic ſcholarum aptiora principio. Sed ita apud me decreueram, qui ad ſacra & initia Muſarum accederent, eos quàm maximè vacuo ac ſedato animo eſſe debere. Quam vt æquitatem ac tranquillitatem deinceps afferre poſſem, alleuandus mihi primùm ſtomachus fuit, & vehementi quadam eruptione compreſſus ille iamdudum eiiciendus dolor. Tum, vt olim in Græciâ qui

ſe myſteriis Cereris initiari peterent, triſtiſſimis antè ceremoniis ac religionibus expiari ſolebant; ita vos his obiurgationis aculeis, atque orationis aſperitate præparandos anteà duxi, vt ad doctrinarum myſteria percipienda puriores & integriores eſſetis. Equidem maximam adducor in ſpem, tales vos futuros omnes, vt me operæ huius orationiſque non pœniteat. De ceteris ſi quod cupio minùs obtinere potero, illud certè conſequar; vt quicquid in poſterum peccabitur, id non nobis auctoribus commiſſum, ſed inuitis ac deplorantibus contractum, vel iniquiſſimis noſtris probetur.

AD SACRARVM LITTERARVM interpretationem præfatio.

ORATIO XIII.

SI dignitatis in capeſſendis artibus habenda potiſſimùm ratio eſt, (auditores) nihil eſt ea quam aggredimur modò, ſacrarum litterarum facultate præſtantius: ſi vſus inſuper opportunitatéſque ſpectantur; tantæ in hac eâdem vna ſunt, quantæ ne ex ceteris quidem collatis in vnum ac coniunctis redundant: ſi fructus

animi denique, & oblectatio quæritur, nuſquam aut liquidior, aut vberior vehementiórque percipitur. Quæ vos omnia ita planè cùm experientiâ veſtrâ didiciſſe confido; tum ex eius, cui ſucceſſor ſum datus, graui ac diſerta oratione perſpexiſſe; mihi vt locus ampliùs nullus reliquus ſit de illius laude dicendi. Præſertim cùm ad huius anni reliquias perſequendas non velut ordinarius quidam magiſtratus, ſed in alterius locum ſuffectus acceſſerim; neque propriis adhuc auſpiciis rem gerere, ſed alienis vti ac tanquam veſtigiis inſiſtere oporteat. Ita cùm eo minus ſplendoris ac pompæ inchoati iam propagatio muneris, quàm recentis ſuſceptio poſtulet, tametſi vobis ea quæ dixi eſſent ignota maximè, alteri tamen orationi ac tempori reſeruanda viderentur. Verùm licèt prædicandi mihi huius inſtituti partes vtcunque præceptæ ſunt, gratulandi certè nihilominus ſunt relictæ. Primùm quòd huius vrbis ſcholarúmque veſtrarum optatiſſimo conſpectu perfrui tandem liceat. Quæ & iucundiſſimæ mihi ſemper multis de cauſſis fuerunt, & ab iis nonnihil inuito animo eram paulò antè diuulſus. Vt quanquam florentiſſima in vrbe, omnibúſque doctrinarum præſidiis inſtructiſſimâ, ſumma in otij abundantiâ degerem, de Fixenſi tamen academia nunquam ſine incredibili deſiderio ac quodam etiam doloris ſenſu cogitarem.

Quem enim adeò ferreum hebetémque putemus eſſe, quem non vel loci facies ipſa com-

moueat? quem non aëris cælíque temperatio, regionis ac ſitus ſalubritas, pulcherrimi in omnem partem proſpectus, camporum veſtitus viridiſſimi, nemorum ac ſiluarum vmbracula delectent? aut, vt illud attingam quod præcipuè ſtudiorum noſtrorum intereſt, quis non reconditiſſimum hunc in tanta amœnitate ſeceſſum, & ad otium litterarum, & quietem à natura factum vehementer expetat? non eum maximarum vrbium frequentiæ celebritatíque præferat? me quidem (auditores) cùm illa non mediocriter afficiunt, tum verò coniunctiſſimorum hominum, neque, vt alibi, paucorum ſuauiſſima conſuetudo ac conuictus allicit. Accedit ad gratulationis ſummam, quòd quibus nuper in ſcholis, communibus tradendis litteris, ac docendæ iuuentuti præfuimus, in iiſdem modò ſanctioribus profitendis artibus, ac Diuinorum oraculorum interpretationi ſumus adhibiti. Quæ res, vt initiò dixi, etſi per ſeſe & amplitudinis, id quod nequaquam quærimus, & ſuauitatis, à quo minimè abhorremus, plena ſit, tamen apud tales támque egregios auditores longè & illuſtrior eſt, & profectò iucundior. Qui ſi mihi faciles ſe deinceps, vti ſpero, ac benignos præbuerint; ſi ab inueterato quodam, de quo proximè dicam, errore longiſſimè receſſerint, neque nos reditus in hanc academiam noſtri, nec illos, quoad in me ſitum erit, operæ ſuæ induſtriæque pœnitebit.

Verſatur autem iis in ſtudiis peruerſa quædam, & abſurda ratio, nobíſque, ſi quid efficere

re volumus, magnopere cauenda; quòd ita nonnullos exiſtimare videmus, totum hoc interpretandæ publicè ſcripturæ munus otioſum, ac ſuperuacaneum eſſe; magíſque ſcholarum ad pompam, quàm ad neceſſitatem referri. Nec eo verò ſic ſentiunt, quòd vt hæretici facilem illam, ac cuiuis ad intelligendum explicatam eſſe iudicent. Pecudem non hominem oportet eſſe, qui ſeriò ſibi ita perſuaſerit. Aliud eſt quod afferre vulgò ſolent. Olim, inquiunt, nauanda hæc in ſcholis opera fuit, cùm maiorum noſtrorum ætate, ſumma librorum atque interpretum inopia ac bonarum artium ſterilitas foret. Nunc cùm tot litteræ illæ commentariis illuſtratæ ſint, támque multa ab ingenioſis & laborioſis hominibus edita monimenta; nihil eſſe cur magiſtros ad eius rei intelligentiam requirant, quam domi quiſque ſedens lectitandis his libris poſſit percipere. Quæ enim ſcripturæ pars non immenſis voluminibus comprehenſa? quis tam impeditus, tam inextricabilis locus, quin ab illis diligentiſſimè patefactus ſit, & excuſſus? vt ea res hodie vulgari propemodum ingenio cum mediocri quadam induſtria diligentiáque contenta ſit.

Horum hominum vitioſæ offenſioni & faſtidio priuſquam occurram, primùm illud veſtra fretus intelligentia breuiſſimè conſtituam: Diuinarum litterarum ſcientiam ei qui ſe theologum videri velit, funditus eſſe neceſſariam; neque ab eo poſſe ſine ſummo dedecore atque etiam periculo prætermitti. Quam quidem

huius neceſſitatem per ſeſe haud mediocrem, maiorem aliquanto noſtrorum temporum acerbitas fecit, quibus nefariæ ac peſtiferæ ſectæ genus illud emerſit, quod fidei ac religionum omnium auctoritates è conceptis expreſſiſque ſcripturæ verbis repræſentandas aſſereret. Popularis ac vendibilis error, & ad oſtentandum ſpecie ipſa magnificus; re quidem vera perabſurdus ac ridiculus. Neque tamen refelli aliter, aut ab imperitorum animis extorqueri poteſt, quàm ſi eadem illa quibus abutuntur, teſtimonia probè antea meditata perſpectáque fuerint.

Præclarè, inquit, ſed ad id magiſtrorum operam nihil requiro: hoc enim priuato ſtudio poſſum ac librorum præſidio conſequi. Velim ſeriò præ te iſta feras, atque ad cetera theologica ſtudia qualemcumque in ea re contentionem adiicias. Ceterùm video pleriſque deſidiæ potiùs latebram in ea voce, quàm certi cuiuſdam conſilij rationem eſſe conſtitutam; qui, quod nunquam, aut ſerò admodum ſuſcipiunt, malle ſe ea domi legendo, ſimulent, quàm in ſcholis audiendo, proficere. Etenim innumera ſunt, quibus partim in ipſo ſtudiorum curſu, partim iiſdem poſtea confectis, domeſticum hoc & incluſum diſciplinæ genus interpellari ſolet. Alios primùm ipſa ſcholaſticæ (ſic enim vocant) theologiæ difficultas ita totos occupat, vt alteri illi nullam priuati otij ac temporis particulam ſeponant. Nonnullis librorum facultas ac copia non ſuppetit: quam qui pe-

tegrinis præſertim locis litterarum cauſſa commorantur, anguſtiſſimè circunſcribunt. Alios hic ille frequens ac peruagatus error decipit, quo vt quæque parabilia maximè videntur, atque in manibus ferè poſita, ita propter opportunitatem differuntur primò, tum paulatim vel obliuione ipſa, vel faſtidio penitus prætermittuntur. Atque hæc quandiu magiſtris audiendis operam adhibent. Pòſt autem vbi è gymnaſiis euolarunt, ſéque publicam ad lucem, atque ad eorum quæ didicerunt vſum fructúmque tranſtulerunt, nónne quo maiori mole negotiorum obſtringuntur, eò minùs ad ſacras litteras otij voluntatíſque ſuppeditabit? Credo enim cùm ad docendum è ſuperiore loco populum, aut ad propulſandos errorum artifices, hoc eſt ad diſcrimen & aciem ex vmbraculis prodierit, cùm ad reipublicæ Chriſtianæ partem aliquam tractandam ac ſuſtinendam acceſſerit, tum mutos illos magiſtros exoſculari ac Diuinorum voluminum arcana perſcrutari poterit.

Habet igitur hoc primùm publica illa ſacrarum litterarum diſciplina commodi, vt earum certo definitóque ſtudio quodammodo deuinctos ac conſuefactos teneat; nec antè theologiæ tirocinia deponant, quàm mediocrem ſaltem eius rei ſcientiam informarint. Tum illud accedit, quod quia cum veſtris (optimi auditores) rationibus coniunctum eſt, quæſo vti facitis, etiam atque etiam attendite. Quam enim Diuinorum voluminum notitiam obſcu-

ri illi abditíque mortuorum diſcipuli magno cum librorum apparatu, ingenti ſumptu, longiſſimo tempore fatigati, ac nauſeantes colligunt, eam vos pecuniarum nullâ, perexiguâ temporis impenſâ, pæne ludibundi comparare poteſtis. Quid enim facilius quàm aures adhibere diſputanti? Dicerem iucundius; ſi is eſſem qui tam explicandâ hac ſcientiâ retinere ſtudia veſtra poſſem, quàm laudandâ prouocare. Sed vt de meipſo nihil, de profeſſione ipſa pauca perſtringam: dubitare quiſpiam poteſt, quin ad diſcendum multò ſit aptius alienis laboribus vigiliíſque perfrui, quàm ipſum niti per ſeſe, aliarum præſertim doctrinarum commentatione diſtractum? Quàm enim expedita ac parata res eſt, habere tædij illius ac moleſtiæ vicarium, qui infinita illa veterum peræquè ac recentiorum monimenta tuapte cauſſa percurrat! qui obſcuris quibuſque ſcripturæ locis ſic tanquam itineribus peragratis, quo velis poſtea quàm minimo te circuitu perducat! qui tot res tam varias, tam diſſipatas, tam vndique arceſſitas ſub vnum aſpectum coniiciat! qui multorum dierum, vel etiam annorum vigilias in vnius horulæ diſputationem contrahat! Quid ſi idem ille nonnulla ſit ingenij ſolertia, vt vel inuenire aliquid ipſe, vel ab aliis inuentum illuſtrare ac perpolire poſſit? ſit denique non indiſertus atque infans, vt ea quæ in medium affert, aliquo lepôre orationis ac venuſtate commendet? Quis tam erit moroſus atque humanitatis omnis inimicus, qui non ſta-

tim viuam animatámque noſtram,ac tot deinde vtilitatibus ornamentíſque præditam inſtitutionem languenti illi ac mortuæ anteponendam exiſtimet?

Dicat aliquis. Hæc igitur affers ad docendum induſtriæ ſolertiæque ſubſidia? Vellem hæc in me ſaltem mediocria reperiri poſſent. Nunc de me nihil dico; quid res ipſa poſtulet, ac quemadmodum conciliari ornaríque poſſit, oſtendo. Neque me ſic abiicio tamen, vt non commodare aliquantulum veſtris ſtudiis ſperem poſſe. Non quo plus aliquid vobis vſu litterarum aut ingenio valeam, vt quod vos minimè potueritis, aſſequi me poſſe confidam. Sed quòd, vt aliis omnibus inferior ſim, abundantius tamen otium ad hæc tractanda & inueſtiganda ſum nactus. Itaque dum vos actuoſæ illæ atque operoſæ quæſtiones commentationéſque detinent, alterius vobis partis onus ac laborem meis vigiliis ſubleuabo: nec multùm delicatos iſtos & induſtriæ noſtræ contemptores morabor. Qui ſi quid ratiocinatione ſua colligerent, non harum modò litterarum, ſed omnium omninò artium, magiſteria ac ſcholas euerterent. Quæ enim eſt hodie tam abſtruſa támque recondita facultas, de qua non innumerabiles perinde conſcripti ſint libri? His ergo ſe doctoribus & informatoribus contineant: neque philoſophiæ aut theologiæ diſciplinam aliunde quàm ab iiſce monimentis arceſſant. Sed nimirum vt artium opus nullum eſt, quod non vtcunque

ſine illis effici poſſit: & eo tamen adhiberi ſolent, quòd ad illud earum ope celeriùs conſtantiúſque peruenitur: ſic publicæ inſtitutionis ea vis eſt, non vt obtineri ſine hac diſciplina nulla debeat, ſed vt cùm ea facilior ſit ac certior illius adipiſcendæ ratio. Iam ſi alienam informationem reliquarum artium vlla deſiderat; multò id magis ad Diuinarum ſcripturarum ſcientiam conuenire putandum eſt. Quæ hoc ipſum Diuinitatis nomen non ideo ſolùm adeptæ ſunt, quòd à Deo profectæ, ac Diuini Spiritus afflatu generi hominum conceſſæ ſunt; ſed etiam quòd comprehendi aliter, quàm ſingulari Dei ope atque auxilio nequeunt.

Atqui paulò iſtud quidem fortaſſe confidentiùs, veriſſimè tamen à nobis vſurpandum eſt: nemini qui doctoris copiam habeat, ſi eam ipſam contempſerit, cæleſte illud munus affuturum. Quod enim eædem ſcripturæ grauiter ac perſæpe teſtantur; nulla re magis homines Diuinam in ſeſe largitatem, quàm deſpicientia ſui, & animi moderatione, prouocant. Si quidem arrogantibus & elatis idem ille repugnat Deus, *qui humilibus dat gratiam.* Quid eſt porrò ſuperbius, quàm in tanta Diuini verbi obſcuritate præferri ſibi facem à quopiam nolle? ſuo ſe arbitratu ac iudicio regere? Diuinæ voluntati, *ordinationique reſiſtere*? Miramini quænam illa Dei ſit ordinatio? Scitote eiuſmodi eam eſſe, vt hominum homines beneficio auguſtioribus iiſce potiſſimùm litteris imbuantur.

Atque hoc diſertè præ ceteris Auguſtinus rimo de doctrina Chriſtiana libro tradidit. Quo in opere ſcripturarum diſcendarum viam ac rationem informans: *Immo* (inquit) *& quod per hominem diſcendum eſt, ſine ſuperbiâ diſcat, & per quem docetur alius, ſine ſuperbia & inuidia tradat quod accepit. Neque tentemus eum cui credidimus, ne talibus inimici verſutiis & peruerſitate decepti, ad ipſum quoque Euangelium audiendum atque diſcendum nolimus ire in Eccleſias.* Reliqua ne ſim longior prætermitto. Quorum hæc ſumma eſt. Præſtantiſſimós quoſque viros, & à Deo maximarum ad rerum adminiſtrationem electos, ab eodem hominum inſtitutioni ac diſciplinæ commiſſos. *Sic Apoſtolus* (inquit) *Paulus cæleſti voce proſtratus, & inſtructus, ad hominem nihilominus mittitur. Sic Spadoni illi, qui Prophetam Eſaiam legens non intelligebat, nequaquam ſine hominis miniſterio reuelatum eſt, ſed potiùs ſuggeſtione Diuina miſſus eſt ad eum, ſedítque cum eo Philippus, qui nouerat Eſaiam Prophetam, eique humanis verbis, & lingua, quod in ſcriptura illa tectum erat, aperuit.* Quibus ſimillima maximéque gemina ſunt, quę ad Paulinum ſcribit Hieronymus. Quem in ſcripturis ſacris, *ſine prævio & monſtrante ſemitam poſſe negat ingredi.* Quippe *cùm ne minimorum quidem*, vt ait, *opificum vllus abſque doctore poſſit eſſe quod cupiat. Habet enim neſcio quid latentis ἐνεργείας viua vox, & in aures diſcipuli de auctoris ore transfuſa fortiùs ſonat.* Præclarum omnino ſanctiſſimi patris, egregiíque ſcripturarum

interpretis teſtimonium, neque quicquam ad inſtituti noſtri commendationem afferri diuinius poteſt. Cuius adeo fidem, ſæculorum omnium vſus ac clariſſimorum virorum exempla confirmant. Qui enim vllo vnquam in numero fuerunt, omnes ad cæleſtium oraculorum notitiam, præceptorum voce perpoliti, pauci quidam extraordinario Dei magiſterio perdocti ſunt.

Video equidem (auditores) quàm illuſtris, quámque & ad dicendum copioſus, & ad exornandum magnificus locus orationis meæ ſit iniectus. Quid enim ſibi percenſere ſingillatim innumeros velim, qui ſingulis ætatibus præcipua ingenij ac doctrinæ laude præſtiterunt? quorum & ſtudium in his litteris, & per quos quiſque didicerit nominatim perſequi poſſemus, ſi id vel obſcurum vobis eſſet, vel hoc loco neceſſarium; vel poſtremò appellandis omnibus tam anguſta orationis ſpatia ſufficerent. Vos quæ à me propter infinitatem omiſſa ſunt, tacita apud vos cogitatione perpendite: nec aliam his temporibus eſſe, quàm olim fuit, diſciplinæ huius conditionem putatote. Nimiùm ætati ſuæ fauent, qui maiora neſcio quæ ſibi librorum adiumenta ſomniant. Quaſi priſcis illis heroibus non ornatiores bibliothecæ, longéque pluribus commentariis inſtructæ ſuppeterent: aut luculentiora noſtrorum hominum eſſe ſcripta poſſunt: quæ ſi quid illuſtre continent, & ad interpretandas ſacras litteras illuminatum & inſigne, non aliunde

quàm ex illis ipſis vetuſtatis fontibus profluxit. Sanè quidem vix dum excitata & coaleſcente adhuc Eccleſia feſtiuam iſtiuſmodi lucubrationum extitiſſe copiam auctor valde bonus & antiquiſſimus Philo prodidit: cùm ab Eſſenis, quos alij Chriſtianos, alij meros fuiſſe Iudæos exiſtimant, ad ſcripturarum enarrationem multas id genus adſcitas ac conquiſitas ſcriptiones commemorat. Quid igitur aſtruxiſſe reliquas ætates, quantámque ad vbertatem hæc initia perueniſſe credibile eſt? cùm magni excellentéſque viri non more noſtro leuiter his ſtudiis defungi ſolerent, ſed totos ſe poſthabitis ceteris in vnius ſcripturæ meditationem intenderent? Quorum hominum, ſi quid ſapimus, plus auctoritatibus & exemplis, quàm huius ætatis, vel paucorum potiùs hac ætate imperitorum opinioni tribuere debemus.

Quod enim grauiſſimorum virorum ac ſapientiſſimorum vel hiſce temporibus iudicium ſit, ſatis ex eo percipere poteſtis; quod ego Lutetiæ nuper in Sorbonico Collegio factum animaduerti. Vbi cùm duæ duntaxat ſcholaſticæ theologiæ ſcholæ ad eum diem extitiſſent, tertia, quæ morum quæſtiones explicat, nonnunquam accederet: paucis ab hinc annis vaga primùm hæc & inconſtans certis eſt deuincta ſtipendiis: tum quarta demum explicandæ ſcripturæ ſchola iiſdem ad perpetuitatem præſidiis eſt conſtituta. Defendite igitur academiæ veſtræ decus (auditores) ac multiplicem hanc profeſſionum opportunitatem, ſtabilem

ac perpetuam æquitate veſtra facite. Mea quidem ne oneri cuiquam ac faſtidio ſit, hac vobiſcum pactione prouidebo: ne quid à vobis præter aurium vſuram, ac quotidianam in ſcholis operam expoſcam. Quicquid deinceps temporis ſupererit, id aliis ſi videbitur ſtudiis occupari patiar. Abundè mihi factum arbitrabor, ſi hanc ſaltem ſcholarum aſſiduitatem, & in audiendo patientiam à vobis impetrare potuero. Cetera malo experientiæ reſeruare veſtræ, quàm in oratione mea ambitiosè ponere. Et verò pluribus aliquanto quàm initio ſtatueram, præſertim minùs idoneo tempore ſum præfatus.

Quamobrem vt ei veluti præcentioni modum finiam, quod ſuperi bene vertant, ad ſacrorum librorum interpretationem aggrediar. Cuius ab ea Pauli epiſtola, quam ad Hebræos ſcripſit, initium facere decreui, quod ita meritò placuiſſe vobis intellexi. Nam cùm inter omnes Apoſtoli huius epiſtolas duæ facilè primariæ ſint: harum vnam, quæ & ordine prima eſt, & ad Romanos inſcripta, hactenus ab eruditiſſimo Theologo explicatam habuiſtis: altera eadémque poſtrema ſupereſt; quam longè quidem minore quàm ille facultate; voluntate autem erga vos ac ſtudio non minore pertexam. Sed veſtræ humanitatis eſt, non tam quid alius ante me præſtiterit, quàm quid ego ſuſtinere poſſim, cum animis veſtris exiſtimare: meæ fidei ac ſuſcepti muneris, vel iſtud ipſum, quod in me perpuſillum ac tenue eſt, vniuerſum ad

vſum veſtrum vtilitatémque profundere. Vt grauiſſimis viris ac prudentiſſimis auditoribus ſi nihil aliud, conatus certè quidem ipſe ac benemerendi conſilium probetur.

DE LIBERALIVM DOCTRINARVM ad ſcripturam interpretandam vſu, ac neceſſitate, Præfatio.

ORATIO XIV.

QVARTVS hic iam annus agitur (viri ornatiſſimi) ex quo ſacrarum litterarum intermiſſa profeſſione, priſtina ad humanitatis ſtudia non mea ſpōte ſum, ſed maiorum meorum voluntate reuocatus. In quibus ego vndecim propemodum annos ita verſor, vt cùm nihil de ſtudio erga eas, & contentione, remiſerim, alterum illud præſtantiorum genus artium minimè interim negligendum putarem. Itaque quoad licuit, maximam in illis partem ſubſeciui otij temporíſque poſui; egíque tum iſtud poſtremò vehementiùs, poſtquam annua profeſſione guſtata, vetus ſum ad curriculum repentè tranſlatus. Quam ego viciſſitudinem non eo ſolùm diuinitùs accidiſſe ſentio, quòd eorum, qui præ-

ſunt, voluntates non humanis conſiliis, ſed Dei nutu atque arbitrio reguntur : verùm etiam quòd ea res ardentius in illas ſtudium amorémque concitauit. Etenim quibus aſſiduè ac ſine offenſione perfruare, ea tametſi iucundiſſima ſint, paulatim languidiùs appetuntur. Quæ autem ex interuallo permittuntur, ad ea cupidiores ac recentiores accurrimus. Patior itaque non moleſtè, me tandiu in illis hæſiſſe ſtudiis, & iſtorum, quæ nunc ingredimur, conſuetudine ac ſplendore caruiſſe, quòd ea me magis interrupta nunc, quàm aſſiduè percepta delectent. Sed eſt aliud inſuper elegantioribus ex doctrinis profectũ in nos haud vulgare commodum, de quo apud vos agere hodierna oratione ſtatui. Libet enim, quoniam hoc demum tempus nactus ſum, quo diſciplinis iiſce poſtremò renunciarem, quarum ego contubernio tot iam annos vtor, comiter eas à me atque honorificè dimittere. Ad id verò, genus eſt argumenti magis idoneum nullum, quàm quod vobis audientibus explicare conſtitui, vt de communium litterarum ad ſacras vſu, immo etiam neceſſitate, dicam. Qua cum oratione ſumma primùm earum coniuncta commendatio erit ac dignitas; tum agetur autem exiſtimatio noſtra nonnulla, mihi hoc tempore atque in hoc ſuſcepti muneris aditu fortaſſe neceſſaria : ne qui me diuerſiſſimarum ab artium tractatione ſubitò ad ampliſſimas illas euolauiſſe viderint, minùs inſtructum neceſſariarum rerum præſidiis putent eò perueniſſe. Ego verò ſi me parem oneri tanto fore

profitear, nimiùm de me arroganter & importunè ſentiam. Nec illud ſanè contendo, meam vt vobis facultatem induſtriámque commendem. Hoc quidem æquiſſimis ac prudentiſſimis auditoribus probabo, ſi potuero; ex hac intermiſſione ſacrarum, & communium artium conſuetudine, non modò facultatis ad illas interpretandas deceſſiſſe nihil, ſed vel plurimum accedere potuiſſe.

Nam cùm duæ ſint Diuinarum litterarum interpretis doctoríſque partes; vt eas peritè ac ſcienter intelligat, & explicare quæ intellexerit, ſatis commodè ornatéque poſſit; incredibile eſt, quantum vtrique profectæ ab humanitate, appellatæque artes illæ conferant. Atque horum quidem alterum, vt non inurbanè inſulſéque dicatur, totum illarum ſine vlla controuerſia eſt, ac proprium. Alterum, vt quæ ſcripta ſunt, intelligentia & mente, capiamus; communis eſt illarum cum ceteris fructus, maiori ipſis tamen ex parte iure debitus. Quod antequam, vti facere ſtatui, oratione mea diſputo, paruæ cuiuſdam controuerſiæ vobis ac quæſtionis arbitrium deferam (auditores,) neque vos otioſos auſcultatores meo in labore ac periculo conſidere patiar: ſed priuatam à nobis operam ac munus expoſcam. Etenim diu eſt quòd de optimo ſcripturæ interpretandæ genere inter nonnullos quæritur: Propterea quòd alij verba ipſa ponderanda enucleandáq; præcipuè iudicant, & in litterali, vt vulgò nominant, eruenda ſententia partem temporis

maiorem ac conatus occupandam. Alij contrà vt id minimè reſpuendum exiſtimant, ita vehementiùs agi negant oportere; ſed mediocri verborum intelligentia contentos iubent intima potiùs ac recondita penetrare. Nemo eſt autem adeò rerum imperitus omnium, qui non multiplices ineſſe ſcripturis ſententias intelligat, quæ ad totidem illa quæ ſignificaui, capita reuocantur: vt aut vocibus ipſis affixæ, in promptúque poſitæ ſint, aut à vulgari dictionis vſu interiori quadam notione ſeiunctæ. Harum vtraperſequenda magis interpreti ſit, ſtatuite ſi vultis (auditores,) vel ſi id minùs placet, opinioni meæ ſuffragatores accedite. Nam quod veſtrûm alicui fortaſſe poſſit occurrere, ambo iſta temperare ac conſectari ſatius eſſe, quàm in altero ſeparatim inſiſtere; cenſerem equidem, ſi iis moribus obtineri à nobis poſſet: ſi non alterutrum ſcholarum ipſa breuitas excluderet: aut parciſſimè ſaltem vſurpari ac libari tantummodo ſineret: ſi non auditorum denique languor eſſet faſtidiúmque vitandum. Nam vt omittam modò quàm moroſè ac ſpiſsè pleriq; ſuam iis doctrinis aſſiduitatem venditent; vtque vulgò ſpecioſa magis publica iſta profeſſio quàm neceſſaria videri ſoleat; de quo alia iam oratione ſum queſtus; qui æquiores nobis ſunt, & in hac ſchola celebranda conſtantiores, moderantur ij tamen induſtriæ noſtræ, neque tanta vti varietatis in explicando copia permittunt. Etenim iidem illi celerrimè peragrari decurríque ſingula cupiunt, & quamplurima paucorum

menſium interuallo comprehendi. Quorum iccirco voluntati mos à nobis gerendus eſt: quòd hæc præcipua commendandæ huic eſſe profeſſioni creditur, illecebra breuitatis. Ac neſcio an non multorum quoque, qui ſe ad hanc ſcholam applicant, ſtudio præiudicatum iam quæſtioni illi noſtræ ſit, vt relicto communi ſimplicíque ſenſu, ad allegorias figuratáſque ſignificationes interpretandi ſit accommodandus labor. Non enim paucos eſſe ſcio, qui ab hac ſacrorum diſciplina librorum nihil requirunt aliud, quàm vt ad concionandum, è ſuperiore loco ſeſe comparent. Quamobrem quo ſunt poſterioris illa generis vendibiliora vulgò, eò libentiùs diſcuntur, & ad alliciendam retinendámque frequentiam longè ſunt aptiora prioribus.

Quid facimus auditores? Iſtorúmne rationibus accommodis obſequemur? Vt ne diutius quod ſentio differam, veſtram vicem reſpondebo ita ipſe mihi, vt vos quæ dicam approbaturos eſſe confidam. Quoniam igitur per ſeſe quid altero ſit præſtantius quæritur, non quid ad plauſum vulgarium hominum, commendatiónémque præclarius, ex variis ſcripturæ ſententiis, eam præ ceteris tractandam arbitror; vel ſi vna, & ſingulari contentos eſſe nos oporteat, eam diligendam ex omnibus, quæ propria & germana maximè ſit, & in quam ſcripturæ auctor ac conditor ipſe mentem ac voluntatem intenderit. Hoc mihi puto facilè conceſſuros omnes, refragaturum verò neminem, cùm hoc di-

co: ita ſentio; promptum illum propriúmque ſcripturæ ſenſum in hac ſchola vel ſolum eſſe, vel præ reliquis intuendum. Quid eſt enim interpretari ſermonem alterius aliud, quàm quod dixerit, quod verbis ſignificare voluerit, planum oratione tua facere? Vt obductum picturæ velum ſimul atque Apelles, aut Protogenes diduxerit, ſtatim Anadyomenes aut Ialyſi quæ latebat imago conſpicitur: ſic verborum explicata vi & proprietate, velut integumentis inuolucríſque detractis, loquentis animum conſiliúmque cognoſcimus. Optimus igitur ſcripturæ hic interpres erit, qui optimè verba ipſa quid ſignificent, viderit. Idem Dei in ſcriptura loquentis propoſitum ac mentem animaduertet, ſi quibus continétur illa vocibus, ad eas peritus atque exercitatus acceſſerit. Atqui iam illud totum noſtrum eſt (auditores) ab humanioribus, inquam, artibus, atque illo, quem vocant, diſciplinarum orbe adiumenta iſta comparanda ſunt. Huius enim imprimis eſt linguarum apparatus ille multiplex, quarum & varietas, & exquiſitior vſus non ad ornatum ſolùm ac ſpeciem, ſed ad docendi neceſſitatem aſſumendus eſt. Quam linguarum ſacras ad litteras opportunitatem, immo, vt cœpi dicere, neceſſitatẽ poteſt qui mediocriter peritus eſt, quâ experientiâ ſuâ perdoctus, quâ ratione inductus, agnoſcere. Volo autem illud in imperitorum etiam oculis ac ſenſibus non ratione teſte magis, quàm eorum, quorum facta legis vim habent, exemplo & auctoritate defigere. Innumerabiles enim proferri ex

omni

omni antiquitate poſſunt, iidémque ſtudio inſtitutóq; diſſimiles, quorum alij hteralem magis ſenſum & proprium, quidam allegorias, & obliquas ſignificationes amplexi ſunt. Sed ex omni mihi turba duos ſeligã, quorum in duplici interpretandi ſpecie induſtria magis emicuit; Hieronymum & Origenem: Græcum alterum, alterum noſtrum, ac Latinum. Magna in vtroque vis ingenij, rarum & excellens optimarum artium ſtudium; commentandi verò interpretandíque perpetuus & inexhauſtus labor. Verùm iſte totum ſe ad figuras & allegorias conuertit. Quàm feliciter, nondum diſputo. Etſi habuit ſectatores ſui generis pæne antiquos omnes, quorum quidem incredibili ac nimia plerumque; magis verò noſtrorũ commendatione floruit. Alter proprias dictionis ſacræ ſententias præcipuè tenuit; éſtque in eo interpretandi genere omnium opinione princeps. Horum igitur vtrius tandem ſimiles eſſe malitis (auditores,) aut ſi hæc perſonarum vitanda contentio eſt, cuius ſe potiſſimùm ſectæ diligens ille, ſed iniquis ſpatiis circumſcriptus, & moroſis auditorum faſtidiis conflictatus doctor addicet? Suæ cuique iis in rebus exiſtimatio eſt. Ego vt de me profitear, tantum abeſt, Græci vt iſtius rationem ac diſciplinam anteponam alteri, vt ne eius quidem ſi poſſim, curem eſſe ſimilis. De Hieronymo neque meum hîc interpono iudicium, neque veſtrum aut cuiuſquam mortalium expecto. Habemus enim communem Eccleſiæ vocem non obſcuris expreſſam ſuffragiis, ſed pu-

blico præconio commendatam, quam ante hos quinque dies in ſanctiſſimi doctoris anniuerſaria celebritate vſurpatam audiuimus: cùm in exponendis ſacris ſcripturis doctor maximus appellaretur Hieronymus. Ergo ille nobis, qui ſacras litteras profitemur, diuinitus eſt oblatus: is, quem iamdiu quęrimus, inuẽtus eſt doctor; in quem velut ducem auctorémque contueri neceſſe ſit; cuius in exponendis ſcripturis via & ratio, optimè interpretandi regula propoſita ſit ad imitandum. Ab hoc igitur duce quiſquis ac magiſtro petere explicandæ ſcripturæ præcepta voluerit; (Quis eſt autem qui id facere nolit?) ab eodem magni ſtudia illa humanitatis æſtimare diſcet, & ad ſuſceptum negotium, illorum adiumenta conquirere.

Hîc vos ego perattentos eſſe cùm video, plurimum lætor (auditores) ac vos præſertim, quorum mihi præ ceteris adiungenda ſtudia ſunt. Date vos quæſo mihi paululum; atque hoc ipſum caput orationis meæ non tum ſolùm, cùm audietur, ſed domi etiam apud vos ac diligenter expendite. Etenim qui vir ac quantus Hieronymus fuerit, quanta in ſacris litteris interpretandis ſolertia, grauitate, ſapientia; auctoritate verò & exiſtimatione quanta fuerit, niſi qui litterarum nomen neſciat, ignorare puto neminem. Huic cùm artis huius principatus, Dei hominúmque iudicio tribuatur, permagni intereſt noſtrâ, quid illud ſit quod ei tantum excellentiæ ſplendoríſque pepererit, acerrimè perſpicere. Acerrimè autem? Habeat ille modò,

quiſquis eſt, oculos, quibus illius commentarios legat. Nihil ſic exiſtere in illis atque elucere ſentiet, vt quæ ab amœniſſimis iſtis ſtudiis ſine controuerſia proficiſcuntur: nec dubitabit, quin ſanctioribus illis tradendis connexa ac domeſtica ſit earum opportunitas, quarum vſu tantus eſt nobis perfectus ac perpolitus interpres. An eſt quicquam tam vllius peculiare doctrinæ quàm illarum eſt, explicare quæ vis ſit vocum ac proprietas, quæ difficilioribus ſubiecta notio ſit ac poteſtas? Referta ſunt Hieronymi ſcripta obſeruationibus eiuſmodi, quas plerique aridas & exiles eſſe criminantur. At earundem eſt artium, linguarum vbertatem varietatémque profiteri. Non Latinæ ſolùm ad interpretandas ſcripturas; ſed & Græcæ, Hebraïcæ, ac Chaldaïcæ exquiſitam facultatem attulit. Quarum omnium Hieronymo neque copia quiſquam inſtructior fuit: neque quantum in iis præſtaret, maiorem ſcriptis ſuis ſignificationem dedit. Iiſdem poſtremò regionibus humanitatis ac finibus comprehenſa ſunt cetera: locorum deſcriptiones, interualla temporum, monumenta rerum antiquarum; externorum ſcriptorum vſus, præſertim hiſtóricorum. His omnibus ornamentis & inſignibus illuminata eſt hominis illius oratio. Atque hæc quanto ſit labore conſecutus, quantis ſe angoribus cruciatibúſque confecerit, quibus impenſis & ſumptibus, quanto animi corporíſque conatu, minutas illas, vt quidam putant, diſciplinas exhauſerit: incredibilia ſunt dictu, quæ ſuis in libris de ſe ipſe

perſcripſit: vbi & à quibus didicerit quæque, profitetur; quos linguarum, ac reliquæ omnis eruditionis præceptores nactus ſit; quantum in illarum ſuperanda difficultate laborarit; quæ terrarum peragrauerit ſpatia; vt Italia minimè contentus ac Roma, Gallias noſtras adierit; inde in Græciam & Orientem profectus, poſtremò in Palæſtinam ac Syriam, eò noctes ac dies incubuerit, vt liberalium iſtarum artium ſuauitate, copia, varietate cumulatum oneratúmque pectus ad ſacrarum litterarum tractanda ſtudia conuerteret. Nimis multa de ſanctiſſimi viri laudibus: quod minimè nunc quidem agitur, hactenus dicta ſunt; ſed ad ſtudium incendendum illius eruditionis adhibendæ, non mediocre pondus habitura. Credo enim vel tantum grauiſſimo occupatiſſimóque viro ſupererat otij, vt ad ludicras & ſuperuacaneas artes eo abuteretur: aut adeò non ardenter diuinas expetebat, hæc vt diuerticula, niſi penitus eſſent neceſſaria, perquireret. Verùm illud profectò ſenſerat: hoc eius, à quo ſacræ litteræ profectæ ſunt, Spiritus afflatu cognorat, non ſe aliter poſſe, quod optimum ſciret eſſe ſcripturæ interpretandæ genus, exprimere, quam ſi priùs in elegãtiorum ſeſe diſciplinarum conſuetudinem dediſſet. Confer nunc cum hoc noſtro ſi lubet, Græcum illum ſectæ alterius antiſtitem ac principem; huius allegorias & figuras cum illius certiſſimis veriſſimíſque ſententiis; nónne vt vel argutæ, ingenioſiſſimæque illæ ſint (quanquam interdum ſecus id ſe habet;

ſunt enim alienæ nonnunquam, & ad ludum riſúmque potiùs factæ. Sed vt ſolerter excogitata ſint omnia, quis non præſtare alias tantùm aliis intelligat, quantum Dei ſermones hominis inuentis ac ſermonibus antecellunt?

Sunt hæc, inquit, vt dicis. Verumtamen túne ad iſtam minutam anguſtámque verborum diligentiam ſplendidiſſimæ profeſſionis maieſtatem abiicies? Vide ne ridiculum ſit, vocularum artificem callidum ex theologo, hoc eſt nihil niſi grammaticum fieri. Primùm quis hoc ſtatuit, nihil ab humanitatis artibus ad ſacrarum doctrinarum vſum præter vocabulorum ſcientiam transferri? Innumera ſunt enim alia: tum ea maximè, quæ paulò antè leuiter attigi; locorum regionúmque notitia, quibus res geſtæ expoſitæque continentur; Hiſtoria temporis anteacti cuſtos & vindex, cuius per omnes ſcripturæ partes vtilitas immenſa diffunditur; antiquitas omnis; mores gentium, ac diuinarum rerum humanarúmque ritus, quibus perobſcuræ ſacrorum librorum narrationes explicantur: tum illa poſtremò, ſine qua munus illud interpretandi ſuſtineri nullo modo poteſt, facultas aliqua dicendi, aliqua Latini conſuetudo ſermonis: vt ſi minùs ſplendida ſit, non ſit tamen agreſtis ac putida docentis oratio. Sed ſi qua eſt doctrinarum iſtarum illuſtrior opportunitas ad ſacras litteras, eam vehementiùs hoc loco non perſequar. Volo in eo, qui perpuſillus illarum fructus exiſtimatur, earundem vim ac neceſſitatem oſtende-

re; in hac ipſa nimirum, de qua paulo antè diſputauimus, notione ac proprietate verborum. Hîc enim valet imprimis illud, quod in pleriſque Dei ac naturæ operibus cernitur, vt minimis ac deſpectis in rebus ampliſſimarum rerum maximéque neceſſariarum momenta vertantur. Qua ex re cùm partium vniuerſitatis omnium neceſſitas communione mutua conſtringitur, tum inſita generi noſtro ſuperbia reprimitur; cùm ad altiora conſurgere ſine viliſſimarum rerum adminiculo non poteſt. Anguſta eſt, inquis, ac ieiuna verborum enucleatio, neque quicquam habet excellens ac magnificum. Quanta ſit dignitas, nihil ad rem pertinet. Vſus enim potiùs ac commoditas inquiritur. Eam verò haud eſſe mediocrem, grauiſſimis in cauſſis ac negotiis eſt ſæpe perſpectum. Nam vt hæretici nonnunquã in vnius vocis calumnia deliteſcere ac fucum obiicere conati ſunt: ita ex aduerſo Catholici doctores certis vocibus ac formulis conſtitutis illorum furorem ac petulantiam fregerunt. Quamobrem magnorum plerumque conciliorum exitus fuiſſe nullos alios accepimus, quàm vt in vnius informatione verbi grauiſſimorum hominum iudicia conuenirent.

Scio propemodum hîc (auditores) eſſe neminem, cui non ſimul atque iſta dico, cùm aliarum ſynodorum veniat in mentem; tum Nicæni illius primi omnium ornatiſſimíque conſeſſus. Sunt enim quæ de illo poſſunt afferri trita vulgo: ſed non ideo tamen diſſimulanda,

quia vulgaria: ſed ea rata magis habenda ſunt, quod publicam hominum notitiam ac famam quadam auctoritatis excellentia meruerunt. Mirum dictu eſt, (auditores) Graſſabatur Arianorum perfidia, vniuerſúmque terrarum orbem impietatis ſuæ facibus inflammarat. Ad hanc Eccleſiæ calamitatem ac peſtem opprimendam diſiunctiſſimis ex locis potentiſſimi imperatoris accitu, infinitis ſumptibus flos eſt in vnum Chriſtiani nominis collectus. Multa tum in illo conuentu miranda, multa ſingularia, multa diuinis potiùs quàm humanis conſiliis adminiſtrata leguntur: ſed nihil ſic ex omnibus obſtupeſcere ſoleo; quàm cùm illud recordor, tantam rerum molitionem, tantum grauitatis, prudentiæ, auctoritatíſque pondus, tantam conſilij iudiciíque maturitatem eò incubuiſſe ac cecidiſſe denique; vna nos vt vocula expeditiores facerent: Ομοούσιον, id eſt, conſubſtantialem patri decreuerunt eſſe filium. Aliúdne præterea nihil? Nihil. Hoc ſi tu leue eſſe iudicas: ſi in ſacris litteris interpretandis idem exemplum conſtitutum eſſe non pateris, non tu homines accuſas iſtos; ſed in Deum ipſum iudicij tui temeritatem refundis, cuius illi miniſtri atque interpretes extiterunt. Ac ſi eſſet obſcurum, quàm meritò in hac architectanda voce operam illi tantam adhibuiſſent, ſatis ex euentu ipſo diiudicari poſſet, nonniſi diuinitus id ab illis eſſe ſuſceptum. Etenim dici hoc, opinor, ſæpiùs audiſtis, totam illam hæreſis peſtilentiſſimæ flammam vno hoc ὁμοουσίου

vocabulo fuiſſe compreſſam. Tum verò poſtea, quoties cum Arrianis Catholici in certamen diſputationémque veniſſent quandiu reliquas ad oppugnandum machinas compararent, ægrè illos redargui ac conuinci potuiſſe ferunt: cùm miris ſe ſimulationum integumentis inuoluerent, per quæ vix ſe perſpici quales eſſent, ac conſtringi paterentur: ſtatim autem ac breuiſſima illa vox, velut Gorgonis caput, erat obiecta, mutos atque elingues abſceſſiſſe. Quocirca nulla per illud tempus vel nobilior, vel frequentiùs agitata quæſtio fuit, quàm de οὐσίας, ὑποστάσεως, ὁμοουσίου, atque iis affinium nominum vi ac poteſtate. Hæc publicorum priuatorúmque ſermonum: hæc eruditarum lucubrationum materia ac ſeges extitit. Vt illud affirmare noſtro iure poſſimus; pauciſſimarum vocum diſputationem ac controuerſiam occupatum pæne totum orbem terrarum habuiſſe. Teſtantur hoc Baſilij, Athanaſij, Gregorij, Hieronymi, Ambroſij, ceterorum denique monumenta; à quibus de iſtorum ac ſimilium intelligentia nominum bene magna ſunt volumina conſcripta. Quo etiam tempore contigit, vt ex illarum ambiguitate vocum, vel inſcitia, non iam hæretici diſcordarent à Catholicis, ſed in ipſos etiam Catholicos eadem illa diſſidia redundarent. Quorum etſi ſumma eſſet in ipſa re conſenſio, tamen quòd hypoſtaſes in Diuinitate tres Græci ſtatuerent; Latini, vt minùs vocis intelligentes, vnam eſſe defenderent, pæne eſt Occidens vniuerſus

ab Oriente diuulſus. Quod inteſtinum atrociſſimúmque malum tum demum eſt ſopitum, redintegratáque mutua pax, & concordia, cùm quæ nominis vis eſſet, pleniùs noſtri ſunt ab iis, qui ſcire meliùs poterant iſta, perdocti.

Cùm hac luce interpretationis ſua quoque Eccleſiæ reſtituta lux eſſet, ac reſpirare paululum ipſa cœpiſſet, ſubita pacis otiíque tempeſtas iecit illam alterum in naufragij certiſſimúmque diſcrimen. Nam cæcus ac præceps ille furoris impetus, qui vnius oppoſitu vocis à filij erat Diuinitate depulſus, in eandem parémque Spiritus ſancti maieſtatem ac Diuinitatem incubuit. Ergo huic non diſſimilis inſaniæ morbo ſimilis verborum informatio atque induſtria ſubuenit. Cuius rei cùm omnes illos appellare teſtes liceat, quos paulo antè nominaui, tacitis reliquis, vnius tam re quàm cognomento magni, vtar auctoritate, Baſilij. Hic enim in luculentiſſimo illo de ſancto Spiritu commentario quid egit aliud, niſi certas expendit explicauítque voculas, quas publicis in precibus perperam à maleuolis vſurpaſſe diceretur? caput igitur longiſſimæ diſputationis eſt, vtrum cùm de Spiritu ſancto loquimur, promiſcuè σὺν τῷ ἁγίῳ Πνεύματι, vel ἐν ἁγίῳ Πνεύματι pronuntiare fas eſſet. In iis, inquam, tenuiſſimis minutíſque particulis ingentis ac Diuini operis ſumma conſiſtit.

Quàm multa deinceps conciliorum vel ſanctiſſimorum patrum exempla commemorari poſſint, quæ in ſimili vocum ſubtilitate verſan-

tur, norunt ij qui in illis volutandis operæ aliquid conſumpſerint. Ego verò ne in iis diutiùs, quàm neceſſe ſit, hæream, cùm ea facilè prætermitto; tum iiſdem auctoribus minimè vereor, ne par in verbis ſcripturæ ponderandis ſtudium nimis ſcrupuloſum ac ieiunum videatur: néve id, quod Æſchini quondam Atticus reſpondiſſe fertur orator, grandium nobis ſententiarum cupidus aliquis obiiciat; non eſſe Chriſtianorum in vocibus res fortunáſque poſitas. Licuerit hoc de forenſi illo, vel, vt vniuersè complectar, de alio omni quàm de Dei ſermone, Diuiníſque vocibus excipere. In iſtis quidem Chriſtianorum ſpem ac ſalutem, incolumitatem Eccleſiæ, religionis integritatem, publicæ pacis otiíque tranquillitatem, contrariorum dogmatum expugnationem poſitam eſſe cùm omnes intelligant, intelligunt vnà non modò non minui ſedulitate illa ſacri dignitatem interpretis, ſed nec aliter, quàm peragrandis iis omnibus ac tractandis, profeſſionis nomen ipſum poſſe retineri.

Credat aliquis, cùm hæc quæ diſputaui hactenus audierit, vno hoc nos interpretandorum vſu verborum liberalium artium opportunitatem adſtringere. Sed ego ſcilicet vnum aliquod vtilitatis genus arripere malui, tum ne de ſingulis propter infinitatem neceſſe haberem dicere: tum vt cùm in eo, quod minimi fit à pleriſque, re autem vera maximum eſt, fructum illarum eſſetis experti, cognoſceretis quanto in maioribus ampliora ex ipſis commoda capian-

tur. Atque vt ex iis, quæ antea ſtrictim attigi, vtilitatis capitibus vnum obiter pertexam: videtíſne quantum ad ſacrarum litterarum obſcuritatem illuſtrandam vna ex omnibus emolumenti afferat hiſtoria? percurrite nunc animis ſingulas ſcripturæ partes, quarum eſt cum extraneis ac profanis hiſtoriis implicata ratio. Immo verò quoniam id infinitum eſt: ad id quod præſens eſt, quódque agitur modò, vt orationem ego meam, ſic veſtram vos cogitationem conuertite. Quid eſt Danielis prophetia, à qua munus iſtud auſpicari decreuimus, ſi ab illa doctrinarum varietate ſeiuncta ſit, obſcurius? Non iam prius illud de dictione ac ſermone replico. Quanquam nec illud prætermitti funditus volo: habet enim peculiare quiddam opus iſtud, quod Chaldæorum, aliter ac ceteri ferè, ſit ſermone ſcriptum. Cuius in peruincenda linguæ difficultate multum ſe & temporis inſumpſiſſe, & moleſtiæ deuoraſſe profitetur Hieronymus. Sed ſit illud mediocre, vel commune cum reliquis: hiſtoricæ quidem in eo ſcriptore ſalebræ tam frequentes, támque impeditæ ſunt, vt qui ad illas non offenderent, pauci admodum extiterint: qui id autem ſine liberalium artium adiumentis conſequi potuerit, nemo ſit omnium repertus. Nam quid ego ceteris ſuccenſeam, quorum pleraque ſine riſu ac ſtomacho legi vix poſſunt, cùm ne ipſe quidem Hieronymus, qui interpretum meritò quidam Deus habetur, ſatis in pleriſque ſibi vel lectori fecerit? ecce in aditu ipſo libri ac veſtibulo, Baby-

loniorum rex Nabuchodonoſorus ac totum illud imperium perdifficilem habet quæſtionem; propterea quòd eodem, quo ille viuebat, tempore, Medorum & Aſſyriorum, maxima & potentiſſima regna floruerunt. Quorum abſtruſa ac recondita ſucceſſio, ſi ex Gentilium libris, & hiſtoricorum memoria repetatur, nonniſi ab ingenioſis vſúque hiſtoriæ tritis explicari poteſt. Sin te ſacrorum auctoritas ſola delectet, vehementer erres: téque inextricabilibus nugarum laqueis impedias, in quos nonnulli eruditionis illius faſtidio prolapſi ſunt. Par eſt quatuor illis in regnis exponendis labor, quæ per viſum oblata regi ſtatua & effigies adumbrauit: quæ ſunt, vel creduntur eſſe Babyloniorum, Perſarum, Græcorum, ac poſtremò Romanorum. Atqui in priorum duorum connectendis ordinandíſque temporibus cùm multa dicantur: eiuſmodi, quæ dicuntur, ferè ſunt, vt meliora nobis ac certiora quærenda ſint. Proxima eſt aliorum regnorum quadripartita diuiſio totidem beſtiarum aſſimilata formis; quarum obſcuritates & ænigmata plurimùm vel peritiſſimos exercent. Sed nihil tam implicatum ac tortuoſum: nihil quod ab homine vel non prorſus ſtupido, vel non inſigniter impudenti vehementiorem inſcitiæ ſuæ confeſſionem extorqueat, quàm ſeptuaginta hebdomadarum deſcriptio. Caput enim eſt non ſolùm prophetiæ Danielis; ſed etiam ſacrarum omnium controuerſiarum ac quæſtionum: quod omnes omnium pæne dicam nationum hiſto-

rias exhaurit vnum, & in ſeſe complectitur. Quid maiora illa & operoſiora conquirimus? Medus ecce Babylonici vel euerſor vel vſurpator imperij, quid hominis tandem fuerit, vix è noſtris, hoc eſt elegantioribus libris, eruere pauci poſſunt, indidémque Balthaſſaris liquidam ac ſinceram narrationem exprimunt. Reliqui odio diſciplinarum iſtarum, Viterbienſes quiſquilias, & Chronologorum deliria veritati certiſſimæ prætulerunt. Et ſunt ab earundem cultu litterarum, hoc eſt ab omni humanitate tam abhorrentes auerſíque nonnulli, veram vt nullam, niſi quæ in ſacris libris expreſſa continetur, hiſtoriam arbitrentur. Pergunt alij longiùs, & à ſe inuicem ambo illa genera diſſidere ſentiunt. Qua ex opinione, portenta quædam erroris innumera, annalium hiſtoriarúmque libris adſperſa ſunt: tot illi commentitij ac ficti Babylonis & Perſidis reges; tot intruſa atque inculcata ſine rebus nomina: temporum omnium non obſcurior ſolùm reddita, ſed perturbata ac diſſipata ſeries: *ratio* denique, vt Lucilius ait, *peruerſa, æra ſubducta improbè*. Hæc mendaciorum ac ſomniorum cloaca; ſtabulum illud inquinatiſſimum iamdudum Herculem aliquem; ſed Muſagetem, & Gallorum noſtrorum olim præſidem requirit. Neque enim aliter deprehendi caſtigaríque iſta poſſunt, quàm harum ipſarum ope doctrinarum, quæ ex odio ſunt illa, vti diximus, contemptúque profecta.

Cetera eiuſdem Danielis licet commemorare,

Sequentis Deliberationis argumentum ex Plutarcho in Catone Cenſorio.

LITE inter Oropios & Athenienſes orta, cùm ex compromiſſo ad arbitros Sicyonios delata res eſſet, Athenienſes ob deſertum vadimonium quingentis talentis damnati Legatos tres Romam mittunt, philoſophos illis temporibus facilè principes. Qui cùm prorogato iudicio Romæ diutius conſiſterent, magnus ad illos ex omnibus ordinibus, ſed adoleſcentum præſertim concurſus factus eſt: quos vnius maximè Carneadis incredibilis dicendi vis defixos tenebat. Quare cùm paulatim mirificus eſſet omnibus philoſophiæ amor iniectus, & ex ipsâ nobilitate M. Acilius palàm quæ à Carneade audierat, profiteretur: M. Porcius Cato Græcis aliàs ſemper infeſtus, ægrè admodum ferens tantùm peregrinis hominibus ac diſciplinis in republica auctoritatis tribui, in Senatum venit, Græcóſque quamprimùm dimittendos cenſuit. Acta hæc fingimus an. vrbis DLXVI. *M. Valerio Meſſalla, C. Liuio Salinatore Coſſ. neque enim certum annum comperimus. Ante Publij quidem Scipionis non mortem ſolùm ſed etiam exilium, quod anno ſequente contigit, Romam veniſſe Græcos iſtos, è Cicerone colligitur lib.* II. *de Oratore.*

DE PELLENDIS AB VRBE Philoſophis

DELIBERATIO

Marci Porcij Catonis Cenſoris contra Philoſophos.

ORATIO XV.

SI in ſuos quiſque noſtrûm liberos (P. C.) patrium ius & auctoritatem retineremus, aut eadem eſſet in omnibus domeſticarum legum ac diſciplinæ tuendæ conſtantia: nihil in hoc ampliſſimo grauiſſimóque ordine cum Græculorum nugis negotij haberemus. Nunc victa paulatim ſingulorum licentiâ legum illa maieſtas, & iactata audaciſſimorum hominum præſtigiis atque afflicta reſp. ne hoc quidem, quod per ſe leuiſſimum eſt, eiuſmodi videri patitur, aut ſine prouiſione aliqua diligentiáque præteriri. Equidem cùm primùm Athenienſes illos Legatos Romam veniſſe cognoui, eoſdémque & argutos eſſe homines, & diſertos: atque hoc ipſum, quod dici ſolet, philoſophos intellexi, ita apud me ſtatuebam; boni nihil ab his hominibus in hanc ciuitatem importandum,

mali

mali quidem certè non multum extimeſcendum. Sed vti humanis in corporibus nullus adeo exiguus, aut leuis eſt morbus, qui, ſi diutiùs foueatur, non ipſâ pedetentim negligentiâ ingraueſcat: ſic nullum in ciuitate malum eſt, quod non, vt initio mediocre ſit, diuturnitas ipſa temporis alat atque confirmet. Quo tibi nomine maximas, vt debeo, M. Valeri, gratias habendas cenſeo: qui vt primùm ampliſſimum es in hac ciuitate magiſtratum adeptus, nihil antiquius habuiſti, quàm vt ea de re primo quoque tempore ad Senatum referres: nec referres ſolùm; ſed & auctoritate ipſa; quæ vel tacita plurimùm poteſt, & grauiſſima oratione effrænatam hanc peregrinorum hominum licentiam caſtigares. Quare cùm immortali beneficio tibi patriam deuinxiſti; tum mihi quoque poteſtatem liberiùs de tota re feciſti dicendi: vt in reipubl. cauſa nemo mihi iure ſuccenſeat; ſi in hanc meam orationem non ſtudio quæſitus, ſed ſponte oblatus incurrerit.

Quænam eſt igitur in medio cauſa poſita? Verſantur in hac republica Græci homines, leue & contemnendum genus: verſuti iidem ac ſubdoli, & neſcio quibus ſeſe nugis oſtentantes: ne hoc quidem magnopere curandum. At in adoleſcentum paulatim ſe familiaritatem inſinuant; obrepunt potentioribus; ciuium animos peregrinis moribus atque inſtitutis corrumpunt. Iam hoc abiectiſſimorum nugatorum non contemnendum, neque diſſimulan-

dum crimen eſt. Maiores noſtri ne minimarum quidem rerum vllam ſine prouiſione eſſe voluerunt: itáque priuatorum hominum moribus ac diſciplinæ conſulendum putauerunt, vt quemadmodum domi etiam quiſque ſe gereret, diligentiſſimè à magiſtratibus inquireretur. Quî autem conuenit, ſi cui aut equus macilentior; aut ager ſegniùs repurgatus; aut in veſtibus quippiam domeſticíſque rebus vel inſolens ſit, vel à ciuitatis moribus alienum; in id ſeueriſſimè cenſorem animaduertere: eundem verò, ſi eiuſmodi aliquid occurrat, quod non priuata cum labe duntaxat, ſed vniuerſæ reipubl. pernicie ſit coniunctum, ſua intereſſe non credere?

Sed eſto ſanè, ſit hoc illorum præcipuè cura ſapientiáque dignum; quid porrò in eo tale, de quo hodierna die à conſule refertur? hoc ſi cuiquam dubium eſſe poteſt; abeat ipſe non procul ab hoc templo: immiſceat ſe ciuibus ſuis; nobiliorum domos, iuuenum conuentus, hominum cœtus ac frequentiam exploret. Tum qui ſint hominum ſermones animaduertat; quæ colloquia, quæ ſtudia, quibus ſe oblectent, quibus detineantur vniuerſi. Vix mehercule paulò lautiorem atque elegantiorem vllum inueniet, qui non abſtruſiſſimarum atque altiſſimarum ſeſe rerum cognitione iactet. Diuina perinde omnes atque humana ſcire profitentur: cæli ambitus, ſiderum ortus & occaſus, ſolis lunæque circuitus, tempeſtatum omnium viciſſitudines, elemen-

torum inter ſe rationes. Nam illa multò abſurdiora prætereo, quæ fremebundus ipſe ac gemens audiebam: ſolos philoſophos ſapere, ſtultos ceteros, inſanos, amentes, furioſos eſſe. Viden' tu hanc florentiſſimam ciuitatem? hæc quanta quanta eſt, vix vnum alit liberum: ſerui omnes, & fugitiui. Quid tu mihi maiores commemoras? cedo vel vnum qui ſit hominis appellatione dignus. Felix Græcorum natio! hæc ſola verè ingenuos, verè liberos, verè diuites, verè ſapientes, hoc eſt demum, homines habet. Hæc ego aut quiſquam alius qui paululum viri habeat, ferre poſſit? hæc impunè iactari audiam? hæc agitari in foro? hæc apud principes ciuitatis in deliciis eſſe? his infici adoleſcentum ingenia? quanquam ſunt hæc fortaſſe leuiora, nec mali multùm præter ſtoliditatem & inanitatem continent. Quid iſtud? rempubl. ne attingat ſapiens: ſubducat ſe ciuitatis fluctibus, atque in portum ſe recipiat: hoc eſt, domi otioſus ſedeat; neque vel ſi inteſtinis incendiis deflagratura ſit, opem patriæ vllam ferat. Hæc hominis vox eſt, an furiæ? Vos ſi ſerpere iſta longiùs ac propagari patiamini, non multos fore intelligitis, qui hæc auidè complexuri ſint? qui, vt primùm domeſticorum laborum ac militaris operæ pertæſum fuerit, otium & ſecuritatem appetant? qui reipubl. curam abiiciant? Egóne vt pro meis ciuibus diſcrimen adeam? obiiciam me hoſtium telis? inuigilem ſaluti omnium? interim ſtultus ab iis habear? illudar? contemnar?

Atenim prudentiores ex iis nonnulli (neque enim æquè omnes inſaniunt) negant à republ. abſtinere philoſophos oportere. Quin illud potiùs contendunt; eos ſolos & ſapientes eſſe, & ad gubernacula ciuitatis admouendos, qui aut philoſophi ipſi ſint, aut philoſophorum in omnibus conſilio atque arbitrio regantur. Malè igitur hactenus putandum eſt à diis immortalibus huic eſſe imperio conſultum : parúmque omnino vidiſſe, qui id non animaduerterit, aut huius vrbis parentem ac conditorem, aut reliquos, quorum ope conſtituta & amplificata ad hoc vſque tempus perſeuerat. Sed horum vanitatem arrogantiámque cognoſcite. Conſeruandi ſtabiliendíque imperij rationem penes ſe ſolos eſſe dictitant; ſolos id noſſe philoſophos. Quomodo igitur tot tantíſque præſidiis inſtructi ſuum illud retinere non poſſunt? quid tandiu egregij illi magiſtratus faciunt? cur non exerunt ſeſe atque afflictas reipubl. ſuæ opes, & oppreſſum illud veteris dignitatis ornamentum reſtituunt? Cur ne à ſeruitute quidem prohibere ciues ſuos poſſunt? Illi igitur diuini ac ſingulares homines, atque omnium rerum diſciplinis exculti, iampridem fracti à nobis ac ſuperati imperium cum libertate perdiderunt. Nos rudes ſcilicet & barbari ac rerum omnium ignari, dominamur illis tamen ac iura legéſque deſcribimus. Quibuſnam igitur gradibus ad tantam amplitudinem reipubl. fortuna prouecta eſt? illíſne quæ iſti vnica tuendæ

atque amplificandæ dignitatis adiumenta prædicant; hoc eſt otio, quiete, morum omnium legúmque deſpicientia? an labore potiùs, noſtrorum hominum diligentia, ſtudio, aſſiduitate, virtute bellica, legum & inſtitutorum obſeruantia? Sic enim à patribus noſtris, ſiue verè, ſiue fictè, non abſurdè tamen proditum accepimus: mortuo huius vrbis conditore, ab eodem ipſo, homini ex agro redeunti ita eſſe denunciatum: ſe quidem pro egregiis ſuis meritis atque virtutibus in Deorum immortalium cœtum eſſe tranſlatum: hanc verò à ſe conditam vrbem non alia ratione poſſe, quàm bellicæ rei ſtudio propagari: viderent proinde ne vllo vnquam tempore militaris ille ardor conſeneſceret: demum ita haberent, tum illam eſſe collapſuram, cùm pluris otium atque ceſſatio, quàm rei militaris exercitatio valeret. Atque horum ſanè alterum, P. C. iampridem experti ſumus: alterum ne hoc tempore contingat, ſummopere cauere debemus. Quid enim aliud eſt, quo ſe ciuitas noſtra de tam obſcuris initiis ad tantum imperij ſplendorem excitarit; vt non iam Italiâ ſe ſolâ contineret; ſed totum iam pæne orbem peruaderet; quàm cum gloriæ & immortalitatis ſtudio coniuncta armorum bellíque tractatio? quàm eſt autem hoc tempore formidandum, ne otioſorum hominum conſuetudine ac ſermonibus, militari in noſtrorum animis alacritate reſtincta, paulatim incidantur imperij nerui, pereátque decus illud omne, quod partim noſtra, partim maio-

rum noſtrorum eſt virtute poſſeſſum? Itaque vt olim Troianis (quorum è genere ortum habuimus) plus Græcorum artes ac fallaciæ, quàm illa decem annorum obſidio cladis attulit, ſic nunc, quorum arma virtute ſuperauimus, eorum ne nobis calliditas fraudi ſit, vehementer pertimeſco.

Nam quid ego commemorem, quod vos ipſi non ſine ſummo, vt opinor, dolore ſæpius vidiſtis; Græculi iſti quo iam in loco apud noſtros imperatores eſſe cœperint? quis hoc ampliùs ferat, duci à ſagato duce palliatum hominem, prolixa barba, corrugatis naribus, contracto ſupercilio, è quo cælum ipſum pendere videatur? quis hoc, inquam, tolerabile putet; audiri inter armorum ſtrepitus, in medio belli diſcrimine ineptiſſimos homines, ab eo viro qui reipubl. perſonam circumferat? cui ſit grauiſſimarum rerum ac totius huius imperij moles impoſita? hos haberi in deliciis? in oculis ferri? omnia ex eorum arbitrio nutúque tractari? vbi eſt illa virtus diſciplináque maiorum? vbi militaris ſeueritas? in labore otium; in periculis receſſum; in quotidiano mortis periculo amœnitatem oblectationémque conſectari? atqui non in exercitu duntaxat à principibus viris ſtudioſè iſta tractantur; ſed domi quoque, quo id commodius eſt, ab hoc ipſo ordine, à ſenatoribus ſumma cum voluptate vſurpantur. Regnum mehercule apud nos Græcorum ac philoſophorum agitur: ídque ab huius ordinis principibus tanquam à capite exor-

ſum, ab eo ad reliquum ciuitatis corpus, velut morbus quidam illius inſaniæ peruadit. Iam enim magiſtros harum nugarum ac profeſſores habet ampliſſimus hic ordo. Ita paulatim eorum amentia infatuati ſumus, vt nouo in hac vrbe exemplo è ſenatore doctor; è principe ciuitatis philoſophus factus, ſuis in ædibus ſcholam ac ludum aperiret. Ac niſi pudor eum aliquis retineret, iam opinor pro clauo atque toga pallium: pro mulleolis crepidas aut baxeas haberemus. O rem non modò dictu fœdam, ſed & inſperatam atque improuiſam! hoccine vt vnquam mihi perſuaderem; tam repentè abiici huius ordinis ſplendorem, vt pro ſenatoribus togatos philoſophos in his ſubſelliis viderem? me autem quid dico? vos appello præſtantiſſimi imperatores! quorum armis ac virtute fracta Græcia huic primùm imperio paruit. Vos, inquam, cùm hæc de republica cogitabatis; cùm vos immaniſſimis bellis, præſentiſſimis periculis caput obiiceretis; cùm denique Græcorum populos in patriæ veſtræ poteſtatem redigeretis, futurum hoc vnquam credidiſtis; vt plus à vobis in otio victa ac debellata Græcia, quàm in bello armata atque infeſta metueretur? vos ſi ab hac victoria intellexiſſetis tantum reipublicæ damni ac periculi affuturum, vt tranſlatâ in Italiam Græciâ, Romam Athenæ commigraſſe viderentur, tantis laboribus redimendum imperij decus ac comparandum putaſſetis? Abeant illi ſanè potiùs, & ſuas Athenas nauigent; patriámque commutent

Græcia: vt quorum ſe conſuetudine, moribus, inſtitutis ac doctrinis efferunt; eorum ſe demum habitu, ciuitate ac legibus obſtringant. Dura vox (inquit) at quanto illa durior? corrumpantur in hac vrbe ciuium mores: peregrinis ritibus imbuantur: extinguatur flos in republ. virtutis: populus ille foris victor, domi ab inertiſſimis opprimatur: Græcia denique Romam tranſportetur.

Atqui laudari apud illos neſcio quem Lycurgum audio; qui in vrbe ſua legem aliquando tulerit, quâ lege peregrinis omnibus ſit ciuitatis mœnibus interdictum: nec finem prædicandi huius inſtituti faciunt; quo tametſi externarum commoditatum copia præcideretur, caueretur tamen in perpetuum reipubl. legibus, moribúſque ciuium; ne præpoſtero aliquo nouitatis ſtudio patria viuendi ratio diſciplináque paulatim obſoleſceret. Quinetiam apud eoſdem ferunt, ne pilum quidem philoſophi poſſe reperiri; neq; otioſo cuiquam, aut à domeſticis bellicíſque occupationibus vacuo eſſe licere: quas ob cauſas & in hanc vſque diem perſtare hanc ciuitatem, & toti aliquando Græciæ atque ipſi etiam Aſiæ terra maríque præfuiſſe. Ego verò quòd inertes, quòd otioſos, quòd poſtremò philoſophos pati non poſſunt, vehementer probo: quòd nullum ſibi cum externis commercium eſſe volunt; nec multùm ſapienter, & nimis arroganter fieri ab illis cenſeo. Horum igitur alterum imitemur modò (Patres Conſcripti.) Pellantur ab huius vrbis

mœnibus otioſi homines: philoſophi excludantur: ceteros, inter noſtros ita demum viuere patiamur, vt nihil ab iis ad eorum quibuſcum viuent, perniciem redundet.

Itáne verò? tu philoſophos eiicias? tu philoſophiam repudiandam cenſeas? tu illam informatricem vitæ, conſeruatricem legum, magiſtram virtutum funditus repellas? tu nihil iuuenibus noſtris reliqui facias, quo ſe domi in pace atque otio ſuſtentent? tu hæc omnia ſenectutis oblectamenta ac præſidia amputes? Ferenda vox illa eſſet; ſi in ea vrbe viueremus, quæ mediocri rerum ſtatu contenta, de ſe duntaxat tuenda conſeruandáque cogitaret. Nunc cùm in ea rep. nati ſimus, quæ imperij ſui fines non aliis quàm orbis terrarum finibus deſcripſit: primùm nego quemquam otioſum eſſe oportere: nego vnquam fieri poſſe, vt aut ſine bello, aut ſine belli expectatione ſimus. An cùm infinitas propemodum nationes, legibus diſſimillimas, armis potentiſſimas, crudelitate barbaras, ſpatiis diſiunctiſſimas, partim deuictas ac ſubactas ægrè coërceamus, partim liberas & infeſtas ſub poteſtatem noſtram ſubiungere velimus, vllum nobis diem vnquam ſine bello atque exercitu aut illuxiſſe anteà vidimus, aut viſuros in poſterum arbitramur? Aut iſta nobis, P. C. deponenda imperij gloriæque contentio: aut cum armis ac virtute retinenda. Neque enim aliis rationibus, quàm quibus ſemel conſtitutæ ſunt, res magnæ conſeruari aut amplificari poſſunt. Creuit ad hanc diē vnà cum bellicę rei ſtu-

dio,ac ſeſe protulit reſp. Ne momento quidem interpoſito, ſimul iſtud exoleuerit, concidet ac dilabetur. Quòd ſi vllum vnquam ſpatium ac temporis interuallum dabitur, quo ab armis reſpirare liceat, ſiccine deſerti ab omnibus rebus ſumus, vt aliunde potiùs comparandum, quàm domi quærendum ſit, quod tunc exerceamus? Me certè auctore quod agatur non defuerit. Habemus enim ſalubriora multa, & digniora nobis, & noſtris hominibus aptiora: quæ ad omnem ætatis partem opportuna & accommodata ſunt. Agros primùm colere; rem domeſticam mercatu, paſcuis, arborum ac ſeminum cultu, ceteróque eiuſmodi prouentu amplificare ſtudeant. Eſt enim hoc viuendi genus cùm innocentiſſimum, tum reipub. vtile cum primis & ſalutare. Itaque ſic accepimus: apud maiores olim noſtros ita viguiſſe, vt non modò in vrbe commorantibus anteferrentur ij, qui ſe ruſticis operibus dedidiſſent; ſed vt illi inertes ac deſides, & propè ignominioſi; hi contrà ſtrenui glorioſíque cenſerentur. Tum laus erat illa præcipua, hoc decus; colonum optimum haberi; in propagandis viribus, ſerendis arboribus, pecore paſcendo, reliquáque ruſtica procuratione gnauum ac ſolertem videri. Ab his artibus Cincinnatus ille pæne oppreſſi conſulis liberator ad dictaturam vocatus eſt: hæc C. Fabricius, hæc Curius Dentatus agebat; cùm alter aduerſus Pyrrhum, alter contra Sabinos miſſus, quâ aratrum ante manu verterant, eâdem crudeliſſimos hoſtes ſuperarunt. Nunc

omnes hoc ferè tempore patresfamiliâs, falce & aratro relictis, intra muros correpſimus, & in circo atque theatris potiùs, quàm in ſole ac campo manus corpúſque verſamus. Sed repetatur ſanè vetus illa laus: conſueſcant operæ atque induſtriæ adoleſcentes noſtri; his occupationibus inſiſtant, quibus omnis & animi habetur, & corporis vitæque firmitas; recipiant ſe ab otio & vmbra, vt valentioribus his ac robuſtioribus vtamur. Nam quid mirum inter has delicias, & in hoc ſeceſſu fractos atque effœminatos, morbis tantùm non aſſiduè conflictari: priùs vt domi foríſque inutiles ſint, quàm iuſtam virorum ætatem expleuerint? Quos ſi durare laboribus ac ruſtica occupatione firmare voluerimus, dicam hoc loco, quod ipſe experientia didici: nihil huic ciuitati neque medicis, neque philoſophis opus admodum futurum.

Verùm eſto ſanè aliquid domi quoque noſtris hominibus propoſitum, quod ingenium iis & induſtriam acuat. Quid dicendi facultate & eloquentia præſtabilius? quæ reip. occupatio vtilior? quæ iuſtior? quæ ingenuo homine dignior eſſe poteſt? In eam igitur compellant ſe homines noſtri: linguam ſuam aſſidua dicendi exercitatione procudant. Leges, patriæ inſtituta, maiorum noſtrorum dicta factáque meditentur. Habet hîc quoque quo ſe noſtra ætas oblectet, cùm vtiliùs multo quàm in Græculorum fabulis; tum honeſtiùs ſanè atque iucundiùs. De me quidem iſtud profiteri poſſum;

cùm nemo ſit ab iſtorum deliratione alienior, tum paucos eſſe etiam in hoc ætatis otio minùs otioſos. Nam præter agrorum cultum, cui rei à puero ſum apprimè deditus, omnia antiquitatis monimenta percurro; ius omne ciuile ac pontificum, augurúmque pertracto. Quas olim cauſas defendi, earum nunc orationes perpolio. His omnibus qui ad me rerum ſuarum cauſſa veniunt, de iure reſpondeo. Hæ ſunt ſenectutis exercitationes: hóc induſtriæ curriculum. In his ita detinetur atque elaborat animus; vt peregrinas ineptias non magnopere deſideret. Hoc verò totum philoſophandi genus, quàm indignum grauitate noſtra! quàm reipub. moribus alienum! quàm porrò inutile ac ſuperuacaneum! Si enim iſtud ab ea quæritur, quod vel maximè quæri illi ipſi profitentur, vt omni virtute ac probitate animi hominum imbuantur: quid ad id nobis philoſophis opus eſt? Aut quid horum nobis ſine illa defuit? Quæ vnquam ciuitas non in reliquis duntaxat gentibus, quæ minùs iis diſciplinis deditæ ſunt; ſed in media illa Græcia, quæ perpetuò illis abundauit, aut illuſtriora, aut frequentiora dedit exempla virtutis? Iniuriam facerem clariſſimorum virorum memoriæ, ſi noſtros cum Græcis conferrem, qui & pauciſſimi omnino fuerunt; & illi ipſi minimis in rebus mediocri cum laude verſati: vt quicquid nominis ac celebritatis habuerunt, id ſcriptorum ingenio veriùs quàm rerum geſtarum magnitudine ſint adepti. Ecqua igitur in re iuuari ab illorum philoſophiâ, aut promoueri

adoleſcentum noſtrorum induſtria poſſit? Num vt arguti ac vafri eſſe condiſcant? Quod quidem, ex quo audiri illi cœpti ſunt, paulatim vſurpari video. Aut vt omnino eloquentes ſint, ac diſerti? Nimirum id à Græcis magiſtris feliciùs, quàm à noſtris exprimāt? Quos ego magiſtros è neſcio cuius Iſocratis ludo ita ſuos, dum viuunt, diſcipulos obruere multitudine præceptorum audio, priùs vt ex hac luce migrent, quàm ſuæ illius facultatis periculum facere potuerint. Dicas hîc apud nos comparari ab iis eloquentiam, vt apud inferos Minoëm aut Rhadamantum flectere dicendo, atque æquiorem ſibi reddere poſſint. Hæc igitur atque his ſimilia, quæ apud illos ſunt, cùm reiicienda ac contemnenda nobis; tum ne cui fraudi ſint, grauiſſimo huius ordinis decreto prohibenda atque exterminanda dico.

Quanquam fatebor hoc loco errorem meum, P. C. nec me aliquando quadam animi curioſitate ductum negabo; vt quos ego tantopere probari audieram philoſophorum libros euoluerem. Ita enim ſperabam fote, vt ex horum præceptis ingentem aliquem fructum ad vitæ vſum colligerem. Sed dicam quod res eſt: nihil vnquam mihi aut ſtolidius aut contemptius, aut veri ſenſus inanius viſum. Adeò enim omnia perplexa, ita perturbata, itáque incerta ſunt, vt ab opinionibus vniuerſa, nihil à veritate profectum appareat. Mirabar ego, non ſolùm obſcuris atque implicatis in rebus, ſed & in perſpicuis atque planis tantam animorum ac ſententiarum diſcordiam. Deos hîc immortales le-

ſummam in voluptate felicitatem conſiſtere; nec aliud ab homine quàm quod pecudis ſit, expectandum eſſe: atque illud, quod paulo antè commemoraui: Sapienti perpetuo quodam animi iudicio à reipubl. gubernaculis abſtinendum eſſe. Optanda verò res, vt id genus à republ. abſtineat ſapientum; careátque non ciuitate ſolùm, ſed luce hac, qua communi fruimur, conſortióque hominum; ſéque in æternas tenebras coniiciat, aut in ſepulchris diu noctúquè deliteſcat: quod à nonnullis eorum factitatum didicimus.

Etiámne igitur audeant impudentiſſimi homines, egregiarum illarum ſectarum auctores ducéſque prædicare? eóſque pro Diis habere, qui omnium non modò contemptiſſimi ac ſordidiſſimi, ſed & nequiſſimi extiterint? Nam quid de Socrate loquar, quem etiam ſapientiſſimum omnium mortalium à Deo pronunciatum eſſe mentiuntur? Cuius omnes conatus, ſermones, cogitata, conſilia ad iniquum patriæ dominatum occupandum referebantur. Quem etiam argutum fuiſſe ac loquacem ferunt, ac mehercule adoleſcentum corruptorem. A quo peſſimo ſcilicet homine, peſſimi fœtus excluſi, Alcibiades, Critias, aliíque complures perditi & amentes homines. Neque enim Diogenes illos, & Menippos, aut Ariſtippos ac Timones dicere neceſſe eſt, quorũ omnium improbitas ita percrebuit, vt eorũ alij ab impudentiâ & proteruiâ canes dicti: alij à crudeliſſimo & ſceleratiſſimò humani generis odio oſores hominum ſint ap-

pellati. Quorum tamen audaciam minùs ego reformidandam arbitror: quòd etſi honeſtate ſit ac decore alieniſſima iſtorum profeſſio, caret tamen illecebra omni ac fucati ſplendoris ſpecie: vt eo difficiliùs præclara ac bene nata ingenia attrahere & prolectare poſſint. Iſtorum verò factio, qui in huius vrbis viſceribus conſederunt, atque inter ceteros Carneadis, (ſunt autem inter eos doctrinarum quoque ac ſectarum diuortia) vehementer nobis cauenda atque extimeſcenda eſt. Hunc enim ante aliquot menſes coram me diſputantem audire memini. Dij immortales! quanta in loquendo vis hominis! quàm profluens ac perennis loquacitas? quàm arguta! quàm ad perſuadendum efficax orationis vbertas! Cùm quicquid vellet diſputando perficeret: nec vllam rem vnquam adeò abſurdam falsámque defenderet, quàm non probaret: nullam vel veriſſimam oppugnaret, quam non funditus euerteret. Quis igitur aut negligendos illos, aut tolerandos in republ. putet, qui nihil non dicendo perſuadere poſſint; quibúſque diſputantibus verum nequeas ab eo quod falſum ſit, ſecernere? Quamobrem redeant illi eò vnde profecti ſunt: noſtráque nos in repub. patrio more ac legibus viuere patiantur. De quibus ita cenſeo.

Quòd M. Valerius conſul verba fecit; vt Carneadi, Critolao, Diogeni legatis Athenienſium, & Calliſtrato Oropiorum legato ius diceretur: quódque de Athenienſium legatis retulit, qui peregrinos ritus ac doctrinas in

ciui-

ciuitatem importarent, ac iuuentutem corrumperent: ob eas cauſas ſenatui placere, legatos illos coram citari, déque eorum causâ cognoſci, vt quàm optimo iure inter eos decidatur: Nominatim verò Athenienſium legatos appellari, iiſdémque ſignificari, ſenatui non placere coïtiones ab iis ac conuenticula fieri, ac palam eos philoſophiam profiteri, Romanóſque ciues peregrinis moribus imbuere: proindéque ita ſenatui videri: legatos Athenienſium tertio poſt cauſam iudicatam die extra vrbem eſſe: ceteros qui philoſophiam profitentur, profeſſi ſunt, niſi id agere deſierint, ante Calendas Martias quarto quintóve lapide Roma abeſſe: nullúmque poſthac ciuem Romanum, aut ciuis filium, aut vllum omnino ex ciuium Romanorum familiâ philoſophiam diſcere, docere. Si quis eorum ſecus faxit, ſenatum exiſtimaturum eum contra rempub. feciſſe.

M. ACILII PRO Philoſophis.

ORATIO XVI.

SÆPENVMERO M. Catonem audieram (Patres conſcripti) non minùs ad dicendum eloquentiæ, quàm ad rem bellicam induſtriæ ac virtutis attuliſſe. Quod adeò hodierna die ſum expertus ; cùm ita ſit ab eo contra philoſophos diſputatum ; vt ei nihil ad ſummum eloquentiæ facultatem deeſſe videatur, qui tam in re falſa & abſurda potuerit eſſe copioſus. Quanquam ego in hac cauſſa ita me habeo, vt auctoritatem illius potiùs quàm orationem pertimeſcam. Eſt enim illius præcipua quædam cùm in vniuerſa republ. tum in hoc potiſſimùm ordine dignitas ; vt quamcunque in partem ſeſe dederit, quodam quaſi præiudicio confecta res atque explorata iudicetur. Sed illud tamen à vobis precabor, P. C. ne quid in hac cauſa, M. Catonis amplitudo, ne quid vitæ totius grauitas contra innocentiſſimos homines poſſit. Rem de ſe potiùs apud vos, vti æquum eſt, quàm ex cuiuſquam opinione ponderate: neque ea virtutis præſidia patiamini, quæ ad

multorum ille ſalutem adeptus eſt, ad cuiuſquam incommodum aut iniuriam valere. Et nos M. Catonem eſſe ſcimus vt vita moribúſque integerrimum, ſic ingenio aliquanto trucem, & oratione paulo duriorem, quàm huiuſce ciuitatis conſuetudo patiatur. Qui etſi dicendo nonnihil me cum præclariſſimis atque honeſtiſſimis viris ſit inſectatus; quoniam ab inſita & inueterata magis aſperitate, quàm maleuolentia profectum illud intelligo, æquo animo feram me ab amico reprehenſum, & rem ipſam potiùs quàm priuatum crimen attingam.

Nam quid tandem periculi tantoperè à tribus hominibus, nec armatis, nec fauore, aut opibus, aut vllis denique præſidiis ad oppugnandam remp. inſtructis impendêre queſtus es? In quo mihi, pace tua id dixerim, parum tibi conſtare viſus es; qui idem hominum genus & abiectum atque contemptum feceris, & ad opprimendam nihilominus hanc remp. atque hunc florentiſſimi imperij ſtatum labefactandum, tantum aut animi aut audaciæ conceſſeris. Nam ſi nihil philoſophorum ſectâ inertius, nihil vilius; quid eſt quòd ab illis tantum ſceleris aut animo concipi, aut re ipſa effici poſſe timeamus? Sin audaces callidíque ſint, & ad audendum paratiſſimi; cedo quid eſt ab iis in hanc remp. commiſſum? quæ coïtiones factæ? qui conuentus habiti? quæ contra nos ſuſcepta conſilia? quis per eos ſubornatus? quis corruptus? Profer facinorum teſtes, aut vllis omnino indiciis conuince. Nónne his veſtigiis ad cognoſcenda

maleficia perueniri ſolet? Et eos homines calumniari audes, quibus præter leuiſſimam ſuſpicionem ne minimam flagitij quidem vmbram potes obiicere?

At plerique nobiles viri, & adoleſcentes præſertim, eorum conſuetudine ac familiaritate detinentur. hoc enim vnum eſt à te criminis loco propoſitum. Satin' eſt, virtutis ac ſapientiæ ſtudio, nihil laudis atque honoris tribui? etiam in gnauos & ſtrenuos homines crimen inuidiáque comparatur? Nam quid demum in illo facto reprehendis M. Cato? quid accuſas? Corrumpi adoleſcentes non ſinis? neque ipſe ferendum puto. Retineri vetera ciuitatis inſtituta cenſes oportere? Vehementer probo. Armorum ac campi exercitationem in adoleſcentibus requiris? Mihi quoque id non mediocriter placet. Ergo ita omnes iudicant, qui aut illa fecerit, aut hæc è ciuitate ſuſtulerit, contra rempubl. facere. Nunc factum ſit necne à legatis, quæritur: ſi factum ſit, quin contra maiorum diſciplinam legéſque ſit, nulli dubium eſſe poteſt. Quàm hoc igitur ridiculum eſt, quod nemo dubitat, quin ſit peſſimum, tam atrociter conqueri: id verò admiſſúmne ſit, quod eſt in cauſa poſitum, tam leuiter attingere? Doce igitur, corruptos à legatis adoleſcentes: crimen eſſe confitebor. Doce, à patriæ charitate, à parentum cultu, à bellicæ rei atque gloriæ ſtudio reuocatos: nihil quidem in eo facto præſtabo; nec dubitabo quin qui illud admiſerint, ſint omni ſupplicio digniſſimi.

Hoc quidem remoto quid in iudicium affers?

At frequentes ad illorum domicilium conueniunt, illos audiunt, cum illis colloquuntur. Quid iſtud habet aut admirationis aut flagitij? Primum enim quis vnquam legatos adire prohibitus eſt? Adeant licet; modò ne frequentes. Atqui minùs hoc ſuſpicionis habet (P. C.) Nemo enim tam impudens ſit, támque ſui oblitus ac iudiciorum legúmque, qui coram multis ciuibus ſcelerata in rempubl. conſilia moliri audeat. Legatos ſalutandi cauſa conueniunt multi? Solet fieri. Ecqui paulò è celebriori ciuitate huc legati veniunt, ad quos videndos atque audiendos noſtrorum concurſus non fiat? Habet enim hoc ex nouitate ipſa cùm expectationem, tum ſplendorem atque dignitatem. Ad nos legati miſſi. Vnde? Athenis, hoc eſt nobiliſſima ciuitate atque imperij quondam, nunc artium doctrinarúmque ſede. Hos igitur ſi quis officioſiùs appellet, ſi adeat, ſi paulò ſtudioſiùs alloquatur; quis hoc meritò in ſuſpicionem vocet? aut non potiùs humanitatis eſſe ac comitatis exiſtimet? Qui ſi horum conſuetudine ac ſermone (quem vel ipſe mirificè probaſti) capitur quippiam? ſi vtilitatis, ſi voluptatis aliquem fructum hauriát, adeóne ferrei ſumus vt hoc illis ereptum velimus?

Nam quòd pleroſque homines dicis de abtruſis ac cæleſtibus rebus paſſim ac temerè diſputare: quæ malùm eſt aſperitas illa, vt i

noſtrorum colloquia ciuium tam ſeuerè támque inhumaniter inquiramus; ne tantillum quidem vt ſe commouere poſſint, quin ſubinde in notationem noſtram & animaduerſionem incurrant? Mimos tu in ſcena patienter audias? his in orcheſtra ſedens arrideas? horum ſale ac facetiis delectere? eorum denique procacitate ac geſticulationibus Deos immortales placandos eſſe cenſeas? Et eos condemnes, qui priuatis in congreſſibus honeſtos grauiſſimis de rebus ſermones miſceant; qui de Diis immortalibus, de hominis natura, de patriæ charitate, de legibus, de ciuili officio, de omni animi virtute atque honeſtate diſputant? Hoc qui improbet, quid eſſe vſquam poteſt quod probandum atque amplectendum iudicet? Nec tu mihi iſtud acerbiùs perſequere, ſpargi à philoſophis neſcio quas voces, reipubl. atque huic imperio perniciosiſſimas: quibus à reipubl. capeſſenda, aut obeunda militia, noſtrorum animi prohibeantur. Sapientem enim à reipubl. fluctibus in ſeceſſum ac tranquillitatem, quaſi in portum ſe quendam recipere oportere; eſt ea quidem philoſophorum vox: ſed nec omnium, nec eorum qui apud nos viuunt; ac poſtremò quorumcumque ea ſit, tum ab illis demum probatur, cùm aut aliorum copia ſuppetit, qui abundè hoc ipſum præſtare patriæ poſſunt: aut non ea reipubl. tempora ſunt, quæ eius qui ſeceſſerit, prudentiam atque induſtriam requirant: vt non reipubl. priuatorum ſubſidium, ſed

priuatis ambitio atque effrenata cupiditas amputetur. Poſſum ego innumeros percenſere, qui illis artibus edocti præclarè admodum multa domi ac foris pro ſuorum ſalute geſſerunt: qui aut oppreſſam à nefariis ciuibus patriæ libertatem recuperarunt; aut ne ab illis opprimeretur, armis ac conatibus reſtiterunt. Sed vno aut altero contentus ero, quorum virtus etiam noſtrorum ac tuis adeo, Marce Cato, ſcriptis monimentíſque celebratur. Solon ille, qui vnus inter ſeptem ſapientes numerari ſolet; cùm Athenis diu homines nullis certis legibus, vſu potiùs ac popularium hominum voluntate regerentur; primus ſapientiſſimas leges condidit, quæ ad hanc vſque ætatem perſeuerant. Idémque Piſiſtratum nefariis artibus patriæ ſuæ ſeruitutem molientem conſilio factíſque, quoad potuit; verſibus ac conuitiis, quando nihil aliud potuit, deterrere conatus eſt. Idem, quod ad leges attinet, ante Solonem fecerat olim apud Lacedæmonios Lycurgus: quos tu tamen neſcio quomodo à philoſophiâ abhorrere dixiſti. Atqui fuiſſe Lycurgum philoſophiæ non ignarum, & verò ſapientiſſimum, vt ab eo deſcriptas leges prætercam, diuinum certè ab oraculo reſponſum, quod de eodem circumfertur, ſatis oſtendit. Quid Dione clarius, qui ex Platonis & Socratis diſciplinâ prodiens, amore tanto patriæ ac libertatis exarſit, vt cùm apud Dionyſium tyrannum honeſtiſſimo in loco eſſe poſſet, ne impium in patriâ dominatum videret, pri-

mùm exilium, mox etiam in eadem liberandâ acerbiſſimam mortem perpeſſus eſt? Qui igitur conuenit, vt cui hominum generi tam inſitum atque inueteratum eſt in vniuerſum improborum genus odium, iidem quoad poſſunt crudeliſſimam in vrbibus ſuis dominationem inuadant?

Niſi verò hoc ſine riſu audire poſſumus, quod eſt à M. Catone de Socrate dictum. Credo vt hilaritatem aliquam homo non infacetus aſpergeret. Quid enim Socrate vnquam modeſtius? quid ſapientius? quod illuſtrius exemplum probitatis ac ſanctitatis? quem ab omni libidine alieniorem; quem amantiorem patriæ; quem iuris atque æqui tenaciorem; quem conſtantiorem ciuem, non modò Græciâ totâ, ſed vniuerſo terrarum orbe fuiſſe accepimus? Adeóne (non ignarus dicam, quis enim M. Catone ſcientior?) ſed diſſimulator; ſed contemptor doctrinæ noſtræ fuiſti, vt de Socrate nobis imponere velles? Vt de eo cuius fama etiam apud remotiſſimas & barbaras gentes longè latéque percrebuit, nihil vnquam aut lectum à nobis aut auditum putares?

Sed illa mitiora. Hoc quod gratis ab eo dictum eſt, quanto truculentius! Iam infinitam eſſe Græcorum hominum, philoſophiæque licentiam, præſertim apud principes viros. O conditionem miſeram adminiſtrandæ reipublicæ, vbi quod honeſtè libeat, plenum ſuſpicionis atque inuidiæ ſit; quod etiam infimo

cuique liceat, tam ſeuerè in clariſſimis viris conſtringatur! Non pateris, Marce Cato, quibuſcum velint conſueſcere duces atque imperatores noſtros? non colloqui? non relaxare tantiſper animum? non otio illo ac libertate frui, quod grauiſſimis interdum negotiis etiam ab occupatiſſimis interponi ſolet? quid iam prohibet, quominus de cibis eorum victúque præſcribas; quo cuique ludo ſit vtendum, quomodo loquendum, definias; aut, ſi tibi moleſtum eſt, pædagogum aliquem apponas, cuius illi ad arbitrium vitam ſuam ac mores accommodent?

At eſt illorum hominum perniciosa conſuetudo. Quâ tandem in re? an eo ſegniùs in exercitibus noſtris militaris res geritur? num armorum diſciplina remittitur? otioſos ſcilicet ac deſides philoſophia nobis imperatores fecit, aut parum in conficiendis bellis ſtrenuos? apud quos verò hoc dicere audeas? nempe apud eos, qui ea quotidie quæ à fortiſſimis viris pro republicâ geruntur, animaduertant; qui præclara illorum conſilia, cogitata, factáque ſentiant. Qui denique recuperatum huius imperij ſplendorem, ſtabilitam rempubl. propulſatos hoſtium impetus, auerſos nuper à ceruicibus ac iugulis noſtris infeſtiſſimorum exercituum mucrones meminerint: per quos pulſus Italiâ Annibal, profligati Carthaginienſes, Africa ipſa ſubacta. Næ tu cùm in iſtos tam acerbus ſis, Marce Cato, æquo animo ferre non poſſum. Quamdiu enim eos oppugnas, quorum benefi-

cio integra eſt ac florens reſpublica ? quorum operâ hoc ipſum quòd viuis ; quòd liberos, quòd coniugem, quòd amicos, quòd aras, quòd focos, quòd libertatem, quòd patriam denique ipſam aſpicis, es conſequutus ? Atque ego quidem P. C. cùm ceteros omnes, quos modò dixi, præſtantiſſimos viros, tum eius gloriæ facilè principem P. Africanum ſæpe audiui cùm diceret, pergratum ſibi Athenienſes feciſſe, & multis principibus huius ordinis, quòd de ſuis rebus legatos miſiſſent tres huius temporis nobiliſſimos philoſophos. Idem C. Lælius vir ſingulari cùm humanitate, tum ſapientiâ & auctoritate, idem L. Furius fortiſſimus ciuis atque optimus, idem alij innumeri palam profiteri ſolent. Nec id profiteri tantùm audent, ſed re ipsâ declarant ; cùm eruditiſſimos ſecum homines è Græciâ palam ſemper habeant. His ego auctoribus, his ducibus libenter vtor : hoc quod ab illis tam ſtudioſè geri ac tractari video, non vereor ne ſit aliquando ciuitati pernicioſum. Valeat ſanè quidem apud adoleſcentes noſtros bellicæ virtutis ac rei militaris exercitatio : ſint in campo aſſidui; ſint diligentes : conſueſcant laboribus, otium fugiant. Honeſta ratio : ſed ita, ſi ille diſciplinarum quoque atque ingenij cultus adhibeatur. Nos à naturâ non corpus modò, ſed animum etiam accepimus, haud paulò aliquid ſublimius ac diuinius : in quo vera eſt hominis natura poſita. Huic ſi fingendo & informando aliquid otij & temporis conceditur : quis niſi importunus, aut her-

culè inſanus id accuſet? ego verò ne militarem quidem illum ardorem, ſine doctrinarum præſidio, vel ſatis tutum eſſe, vel conſtantem arbitror: & conſilio plura ſapientiáque, quàm armis perfici ab imperatoribus video. Quod præclarè ſapientiſſimi homines doctis fabulis indicant: qui ferocem illum cruentúmque Martem à Pallade ſæpius in certamine ſuperatum eſſe finxerunt: quòd hæc ad armorum vſum ac peritiam, quam cum illo communem habet, prudentiam inſuper ac doctrinam adiungeret.

Addant (inquit) ad bellicas artes diſciplinarum elegantiam, dum philoſophiam repudient. Hoc quid aliud eſt, quàm è ſcientiâ ſcientiam ipſam eripere? quid enim doctrinæ eſſe poteſt, quod non à philoſophiâ profectum ſit? quæ vna quicquid vſpiam cognitione capere, aut ingenio aſſequi poſſumus, ambitu ſuo ac quodam velut ſinu complectitur? ab eáque poſtmodum riuis diſcreta non fontibus exiſtit illa omnis artium ac litterarum varietas. Legum tu mihi ſcientiam commendas? forenſem illam dicendi vim & eloquentiam non ſubtrahis? accipio, amplector: ſed hæc à ſapientiæ ſtudio non minùs quàm à fonte aquulam, deriuari intelligo. Illius copiam, ſi bonus es, cur non facis? ſi pernicioſus, cur iſtius facis?

Doce (inquit) cum Græcorum philoſophia quid legibus ſit atque inſtitutis noſtris commune. Faciam quod iubes; nec alio quàm tuo

ipſius teſtimonio tete conuincam. Tuas, inquam, M. Cato, aduerſus te origines proferam. Recordare quid à te de duodecim tabularum legibus ſit ſcriptum; à quo illæ petitæ; quis earum auctor; quod in iis conſtituendis maiores noſtri exemplum ſequuti ſint. Dicerem ſi eſſet obſcurum. Illud non tacebo: nihil in his eſſe, quod non è Græcorum legibus tranſcriptum; quod non è philoſophiâ, à quâ illæ omnes manarunt, arcerſitum ſit ac profuſum. Quare Græculos iſtos quantùm voles irride; horum ſtudia ac doctrinam contemne; dum tu tamen hoc vel inuitus fateare; horum tibi exemplo vtendum; horum legibus ac præceptis in omni vita obtemperandum eſſe. Quid ante Decemviros? num à peregrinâ hac & tranſmarinâ eruditione aut hæc ciuitas, aut Italia omnis abhorruit? vnde igitur tanta Pythagoreorum copia cùm aliis in locis, tum in magnâ illâ Græciâ, vel iiſdem Annalibus tuis teſtibus erupit, non modò qui poſt Pythagoram vixerunt, ſed etiam qui ante eum annis permultis idem ſectæ genus ac diſciplinæ tenuerunt? quorum è numero Numam Pompilium regem noſtrum fuiſſe per te didicimus, à quo ſacrorum omnium ritus, quibus in hanc diem vtimur, ex huius philoſophiæ penetralibus erutos atque expromptos habemus. Nam illa nimis vetera ſunt: noſtrum genus è Græciâ ortum ac propagatum eſſe: veteréſque Italiæ populos, à quibus primùm iacta huius vrbis initia ferunt, Pelaſgos fuiſſe; ipſum adeo Æneam, à quo parens vrbis

ac conditor Romulus, ab iiſdem illis Græcis ortum habuiſſe. Quare quid eſt quòd Græcas litteras ac Græcos homines ab hac vrbe exterminari iubes, à quibus cùm iura omnia legéſque; tum generis originem, vitámque ipſam & te & nos omnes hauſiſſe atque expreſſiſſe non dubites? nihil nobis cum Græcis commune eſſe pateris? ſuas illos res habere iubes? redde igitur hanc illis ciuitatem: redde ſacra omnia, aras, focos: redde ius omne pontificium, ciuile: poſtremò teipſum. Non vides M. Cato tua iſta ſententiâ quo nos ſcelere obſtringas? quam reipublicæ perſonam imponas? vſque eò nos inhumanos ac barbaros exiſtimari vis, vt iis quibus omnia debeamus, ne ipſum quidem huius vrbis aditum, qui omnibus ſemper patuit, liberum eſſe patiamur?

Maiores noſtri Latinis atque Hernicis ac pleriſque finitimis quòd difficillimis temporibus in reipublicæ fide manſiſſent, eámque leuiſſimis aliquando in rebus opportunè ſubleuaſſent, non ſolùm libertatem, verùm etiam ius ipſum pæne ciuitatis tribuerunt: nos victâ ac debellatâ Græciâ, pleriſque aliis in ſeruitutem redactis, ſuas illi leges ac magiſtratus permiſimus: vt de ea prouincia ac ciuitatibus quondam florentiſſimis optimè mereremur. Hoc enim profectò vidimus, communem eſſe omnibus belli aleam ac fortunam propoſitam: ac fortiſſima quæque imperia quodam veluti ſenio confecta, temporis diuturnitate concidere: ſolam verò hanc, quæ rebus olim præclarè

geſtis parta ſit, gloriam atque exiſtimationem perpetuam ac ſempiternam eſſe. Quam in victis etiam ac proſtratis ſuſpicere, hominum ſit parum fortunæ, multum virtuti ac dignitati tribuentium.

Vos igitur ei nationi, de quâ tot támque præclara maiorum veſtrorum ac veſtra iudicia extant, tantam infamiæ labem & ignominiam imponetis? vos decretis veſtris eos oppugnabitis, quorum gratiâ, maxima ac difficillima cum regibus plerumque bella ſuſcepimus? vos turpiter illius vrbis ciues eiicietis, cuius ſpectata ac nobilitata virtus tantæ apud omnes mortales auctoritatis eſt, vt iam pæne extinctum ac deletum Græciæ nomen huius vnius ſplendore nitatur? ex quâ doctrina omnis, religio, fruges ipſæ, leges denique ac iura cùm noſtra, tum orbis totius orta ac diſtributa creduntur? quem igitur animum prouinciis omnibus ac ciuitatibus damus, vt de ſuis rebus ad nos referant? vt ad æquitatem noſtram, fidem, ſapiẽtiam, confugiant? quem vt parêre imperio noſtro, ſine vi, ſine neceſſitate, ſtudio ac voluntate malint? vt illud omnes intelligant; exoleuiſſe iam in reip. noſtræ moribus priſtinam illam lenitatem, & humanitatem: arceri finibus Italiæ peregrinos: ſuſpectum eſſe externorum hominum aduentum: nullam adeundi quos velis; nullam colloquendi libertatem ſupereſſe. Etenim quis de ceterò licere ſibi putet in eâ vrbe verſari, quâ Athenienſium Legati fœdiſſimè expulſi ſint? aut quis æquo animo videri ſe ab illis ſperet, qui flo-

rem illum Græciæ, decus orbis terrarum, artium ac ſapientiæ domicilium ſpretum ac repudiatum meminerit? at quibus de cauſſis? quantæ id nobis non ignominiæ ſolùm, ſed inuidiæ fuerit, ſi eo duntaxat pulſos eſſe conſtiterit, quòd artes ac diſciplinas, quòd philoſophiam nobis importare ac communicare ſtuduerint? audiet nimirum orbis terrarum vnam eſſe Romanam remp. in qua eximia illa ornamenta deſpicatui ducantur: quæ ab illis rebus abhorreat, quarum præcipua in hominum vita commendatio eſſe ſolet. De quibus ego, quoniam video à M. Catone reprehendi, dicendum mihi aliquid hoc loco putarem, niſi iam longiùs de reipublicæ noſtræ rationibus famáque ſolicitum cura me rerum grauiorum ab hac oratione reuocaſſet. Quamobrem vt aliis quoque eadem de re quid ſentiant, dicendi tempus non ſubtraham, ſic breuiter cenſeo:

Quod M. Valerius conſul de Athenienſium & Oropiorum legatis retulit: placere ſenatui vt iiſdem accerſitis ac cauſſa cognita, conſulum alter ambóve, duobus aut tribus pluribúſve, ſi ita videbitur, Conſularibus, aut Prætoriis negotium committant, vtíque eos honorificentiſſimè habeant: ac ne cui eorum, aut ciuium Romanorum fraudi ſit philoſophiam diſcere, docere; aut omnino cum philoſophis verſari. Quin potiùs id omne ſtudium è republ. eſſe arbitrari; ac eos omnes, qui ei dediti fuerint, nihil contra rempubl. aut leges feciſſe.

ΚΑΡΝΕΑΔΟΥΣ ΥΠΕΡ τῶν φιλοσοφούντων,

ΑΠΟΛΟΓΗΤΙΚΟΣ ΛΟΓΟΣ.

ΗΜΕΙΣ κοινῇ μὲν ὑπὸ τῆς πόλεως περὶ δημοσίων πραγμάτων ὡς ὑμᾶς ἐπέμφθημεν (ἄνδρες Ῥωμαῖοι) οὐχὶ τῶν ἰδίων πέρι λόγον ὑφέξοντες οὐδενὶ, οὔτε αὖ ληψόμενοι· νῦν δὲ ὡς γοῦν ὁρῶ, εἰς τοῦτο ἡμεῖς περιέστημεν, ὥστε καὶ ἰδίᾳ περί ἡμῶν αὐτῶν ἀπολογίας δεῖν ἡμῖν. διπλὸς γὰρ ἐν τῷ παρόντι ὁ ἀγὼν ἐνέστη, ὁ μὲν ὑπὲρ τῆς πόλεως, περὶ χρημάτων τε καὶ καταδίκης, ὁ δὲ ὑπὲρ τῆς φιλοσοφίας, καὶ ἡμῶν τῶν ταύτην ἐπαγγελλομένων τὴν τέχνην, ἐπεὶ εἰς αὐτὴν δοκοῦμεν διαβεβλῆσθαι πρὸς ὑμᾶς. τούτων δὲ πρὸς μὲν ἄπειρον ῥᾴδιος ὁ λόγος, καὶ οὐ χαλεπὸν

CAR-

CARNEADIS PRO philoſophis.

ORATIO XVII.

PVBLICO quidem nos ciuitatis noſtræ decreto miſſi hûc ad vos (P. C.) venimus ; non vt priuatis de rebus rationem vel redderemus alteri, vel ab aliquo poſceremus. At nunc eò propemodum , vt apparet , ſumus redacti , vt etiam priuatâ aliquâ nobis apud vos defenſione opus eſſe videatur. Duplex enim propoſitum eſt hoc tempore certamen : alterum pro ciuitate noſtra , quod in pecuniis ac damnatione conſiſtit : pro philoſophia alterum , próque nobis ipſis , qui eam profitemur ; & eo nomine apud vos in crimen adducimur. Ac de priori quidem expedita & perfacilis eſt oratio , neque quicquam negotij eſt ,

hanc à nobis criminationem depellere: præſertim cùm apud vos peroranda mihi cauſſa ſit; quos huius controuerſiæ diſceptatores ac iudices nactum me eſſe, magnopere gratulor. De altero, hoc eſt de ciuitatis noſtræ cauſſa; minus habere fiduciæ poſſum: tametſi multis ad illam magníſque præſidiis abundamus, de quibus paulo pòſt dicetur. Primum enim neceſſarium videtur quæ contra nos calumniæ ſuſpicionéſque conflatæ ſunt, eas, quantum in nobis ſitum eſt, diluere omnes ac refellere. Hoc verò eſt, vt initio dixi, perfacile.

Age enim, quid illud tandem eſt quod nobis obiicitur, quódve huic actioni crimen inſcribitur? nam ſi philoſophandi hîc apud vos poteſtatem non facitis, eóque nos accuſandos nomine putaſtis; noſtra hęc ex aduerſo iuſtiſſima eſſe poteſt exceptio: liberos nos eſſe, eámque & à natura conditionem, & veſtro beneficio eſſe ſortitos; qui nobis ſub poteſtatem veſtrã ſubiunctis non modò libertatẽ non ademiſtis; ſed cùm antiquis ac patriis vti legib. permiſiſtis; tum proprios habere magiſtratus, ceteráq; noſtræ nos ciuitatis iura retinere voluiſtis. Ad hæc, quod eſt libertatis maximè proprium,

ἀποσκευάσασθαι τὸ ἔγκλημα, ἐν ὑμῖν μάλιστα δικαζομένους, οὓς ἐγὼ περὶ παντὸς ποιοῦμαι τόνδε βραβεῦσαι καθίζεσθαι τοῦ ἀγῶνος. περὶ δὲ θατέρου, τοῦ ὑπὲρ τῶν πεμψάντων ἡμᾶς, ἧττον ἂν θαρροίην, καί τι ἐν τούτῳ πολλοῖς πάνυ καὶ μεγάλοις δικαίοις ἰσχυριζόμενος, περὶ ὧν ὕστερον ἡμεῖς ἐροῦμεν. ἀνάγκη γὰρ πρότερον τὰς καθ' ἡμῶν ἐπιφερομένας αἰτίας, καὶ ὑποψίας ὡς οἷόν τέ ἐστι, διηγήσασθαι· οὐ χαλεπὸν δὲ ὥσπερ ἔφην.

Φέρε γὰρ τίνος ἕνεκα δι' αἰτίας ἔχετε ἡμᾶς, καὶ ποῖόν τι ἐπιγράφεται τὸ ἔγκλημα; εἰ μὲν οὖν φιλοσοφεῖν ἁπλῶς οὐκ ἐᾶτε ἡμᾶς οὔτε ἐν ὑμῖν αὐτοῖς, καὶ τοῦτο κατηγορεῖν ποιεῖτε· οὐκ οἶδα ὅ, τι χρὴ λέγειν ἕτερον, πλὴν ὅτι ἐλεύθεροι ἡμεῖς ἐσμεν, ἕνεκά τε τῆς φύσεως, καὶ τῆς ὑμῶν φιλανθρωπίας· οἱ λαβόντες ἡμᾶς ὑποχειρίους, οὐ μόνον οὐκ ἀφείλεσθε τὴν ἐλευθερίαν, ἀλλὰ καὶ νόμοις ἐπετρέψατε χρήσασθαι τοῖς πάλαι καθεσταθεῖσι, καὶ ἀρχὰς ἐκυρώσατε τὰς ἐπιχωρίους, καὶ τὰ ἄλλα ἀπεδώκατε νόμιμα τῇ πόλει. πρὸς δὲ τούτοις ἅπασιν, ὃ καὶ μάλιστα ἴδιον τῆς ἐλευθερίας,

καὶ ταύτῃ ἐξ ἀνάγκης ἐπεζευγμένον, ἐπιτηδεύειν ἡμῖν ὅ, τι ἂν ἑκάστῳ συμφέροι, καὶ οὐδεμίαν ἀνάγκην προεστήκατε τοῦ ἕτερόν τι παρὰ τὰ δεδογμένα ποιεῖν. ὥστε ἀδικοῖτε ἂν ἡμᾶς οὐ μετρίως, ἣν πάλαι τῇ ἡμετέρᾳ πόλει ἐβεβαιώσατε τὴν χάριν, ταύτην κατὰ τὸ πρῶτον ἀφελόμενοι, καὶ ταῦτα Ἀθηναίους ὄντας, οἷς πάτριόν ἐστι τὸ φιλοσοφεῖν, καὶ τοὺς λόγους ἀσκεῖν.

Σκοπεῖτε γὰρ τοῦτο, (ὦ ἄνδρες Ῥωμαῖοι) ἡμεῖς πάλαι οἱ Ἕλληνες δύο εἴχομεν τὰ πλεονεκτήματα, καὶ ἐπὶ τούτοις μέγα παρὰ τοὺς ἄλλους ἐφρονοῦμεν, τῇ τε ἀρετῇ τῇ κατὰ τὸν πόλεμον, καὶ ἀρχῇ, καὶ τοῖς λόγοις. ἀλλ' ἤδη τούτων τὸ μὲν ἕτερον ὁ πάντα καταστρέφων χρόνος, καὶ ὑμετέρα τύχη τῆς Ἑλλάδος ἀπεστέρησεν· καὶ δουλεύομεν ὑμῖν οἱ πάλαι τῶν ἄλλων κρατεῖν ἀξιοῦντες. λοιπὸν ἡμῖν θάτερον, ἡ παιδεία, καὶ οἱ λόγοι. ὧν εἰς ἔτι γλίσχρως μὲν, καὶ οὐχ ὥσπερ τὸ παλαιὸν, ἀλλ' ὅμως ἀντιποιούμεθα, καὶ μετρίως κατά γε τοῦτο δοκοῦμεν εὐδοκιμεῖν. ὧν πρὸς Θεῶν μὴ ἀφέλεσθε ἡμᾶς, μήτε ἀπ-

cum eáque neceſſariò complexum, licere cuique id gerere, & in vita inſtituere quod expedire ſibi cerneret: ſic vt nullam contra quàm vellet agendi neceſſitatem adhiberetis. Quamobrem veſtra haud mediocris hæc in nos eſſet iniuria, ſi quod olim ciuitati noſtræ beneficium ratum eſſe iuſſiſtis, hoc tempore nobis ereptum eſſe velletis; ídque Athenienſibus præſertim, quibus patrium eſt philoſophari, atque in omni tractandarum doctrinarum genere verſari.

Paululum quæſo hoc cum animis veſtris cogitate (P.C.) Cùm duo quondã ornamẽta penes nos Græcos fuerint, quib. antecellere ceteris atq. eminere videremur; bellica cum imperio virtus, & ſcientia: horũ alterum partim tempus ipſum, quod euertit ac conſumit omnia; partim veſtra (Romani) fortuna nobis eripuit: & qui imperiũ antea nobis in ceteros arrogauimus, nunc demũ vobis ſeruire ipſi cogimur. Alterum itaque reſtat, quod eſt in artiũ ac doctrinarum vſu poſitũ; quarum quidẽ poſſeſſionẽ ægrè modò, neque vt olim, ſed vtcunq. tamen retinemus; nec vulgarem ex ea re ſplendorem decúſque comparauimus. Quæ nolite, per deos immortales, auferre nobis, atq. omni-

bus omnium rerum inſignibus orbatos ac ſpoliatos reddere. Hoc ego vos nunquam facturos, nec eam à nobis libertatem abiudicaturos eſſe confido: quod & præclarum vobis, & Romana vrbe dignum fuerit.

Iam ſi illud accuſatis, quod hîc apud vos philoſophari, corámque ciuibus veſtris verba facere inſtituerimus; quod ego criminis caput eſſe ſuſpicor: primùm illud admiror (P. C.) quid in eo facto reprehendatis. Verùm tandem minùs decorum id habetur, & ingenuo homine dignum? At quis hoc iure dixerit? Quid enim eiuſmodi hominum genere dignius? quæ res ciuitati amplior? quod illuſtrius ornamentum? quæ firmior cuſtodia? Vnde enim leges? vnde iura? vnde, vt vno verbo complectar, cetera omnia, quibus & ciuitates conſtituuntur, & conſtitutæ permanent, niſi ab philoſophiâ deriuantur? Cui cùm ſe legum olim conditores addixiſſent, ab eáque ſaluberrima ſibi multa quæſiſſent, eadem in populos poſtea transfuderunt, & in medium vtilitates illas attulerunt: tum non pauca de Deorum religionibus,

μοις ἁπαξαπλῶς ἐθέλετε γενέσθαι· ἀλλ' εὖ οἶδ' ὅτι οὐκ ἂν τοῦτο ποιήσαιτέ ποτε, οὔτε ἀξιώσαιτε ἡμᾶς τήνδε παραιρεῖσθαί τινα ἐλευθερίαν, καλῶς ποιοῦντες, καὶ τῆς Ῥώμης ἀξίως.

Εἰ δὲ ὅτι ἐν ὑμῖν φιλοσοφοῦμεν, καὶ πρὸς τοὺς ὑμετέρους πολίτας διαλεγόμεθα, ἐπαιτιᾶσθε ἡμᾶς, ὃ καὶ μᾶλλον ἡγοῦμαι· πρῶτον μὲν θαυμάζω (ὦ ἄνδρες βουλευταὶ) τί δή ποτε κατηγορεῖτε ἐν τούτῳ τοῦ πράγματος. πότερον ὅτι οὐκ ἀξιοπρεπὲς, οὔτε ἁρμόζον ἐλευθέροις ἀνδράσι; ἀλλὰ πῶς ἂν εἴποι τις τοῦτο; τί γὰρ καὶ μᾶλλον τὴν τοιούτων ἄξιον; ποῖον δὲ χρῆμα τιμιώτερον τῇ πόλει; τίς λαμπρότερος ὁ κόσμος; ποία ἰσχυροτέρα φυλακή; πόθεν γὰρ οἱ νόμοι; πόθεν τὰ δίκαια; πόθεν, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, τὰ σύμπαντα, δι' ὧν καθίστανται, καὶ μένουσιν αἱ πόλεις, εἰ μὴ ἀπὸ τῆς φιλοσοφίας; ἣν ἐπιτήδευμα ποιούμενοι οἱ νομοθέται, καὶ πολλὰ ἐντεῦθεν ἐμπεπορευμένοι, ὡς τοὺς δήμους διεκοσμήσαντο, καὶ τὰς ὠφελείας ἐν μέσῳ κατέθηκαν, πολλὰ περὶ μὲν τῶν θείων,

οὐκ ἐλάττω ἢ περὶ τὴν πολιτικὴν, καὶ μυ-
θεσπίνων νομοτεθήσαντες, ὧν αὐτὴν οὐ μόνον
οὐκ ἐνδέχεται εὐδαιμονεῖν τὰς πόλεις, ἀλλ' οὐ-
δὲ ἁπλῶς διαμένειν καὶ ἀντέχειν μέτριον δή
τινα χρόνον. ἐντεῦθεν ὁρμήσαντες οἱ σοφώτα-
τοι τῶν καθ' ἡμᾶς, ὅ, τε Λυκοῦργος, φημὶ, καὶ ὁ
παρ' ἡμῖν Σόλων, ὅ, τε τούτων ἔτι παλαίτερος
Μίνως τε καὶ Ῥαδάμανθυς, καὶ ὁ Ζάλευκος καὶ
Χαρώνδας, περὶ ὧν πολλάκις ἤδη ἀκηκόα-
τε, φρονιμώτατα τὰς ἑαυτῶν πόλεις διῴκησαν,
καὶ τοὺς νόμους κατέστησαν, οἷς ἔτι καὶ νῦν
χρώμενοι διατελοῦμεν κατὰ τὴν Ἑλλάδα.
ὧν οὐδὲ τὰ ὑμέτερα, (ὦ Ῥωμαῖοι) ἀλλό-
τρια, οὔτε ἄμοιρα τῆς ὠφελείας ἐγένετο.
Μέμνησθε γὰρ δήπου, καὶ παρὰ τῶν, τῶν δὲ,
ὡς ἀκούω, τῶν Κάτωνι γεγραμμένων,
καὶ παρὰ τῆς ἄλλης ἱστορίας μεμαθηκότες,
ὡς οἱ καθ' ὑμᾶς νομοθέται διορθοῦν βουλό-
μενοι τὴν πόλιν, καὶ τιθέναι τοὺς νόμους, πρέ-
σβεις κατὰ τὰς Ἑλληνίδας πόλεις πέντε διέ-
πεμψαν, ἐφ' ᾧ τὰ καθ' ἑκάστην νόμιμα διε-
ρευνήσαντας, ἐξ ἁπάντων τὰ συμφέροντα

déque ciuilibus, & humanis negotiis multa præſcripſerunt: quibus detractis non ſolùm bene beatéque degere, ſed ne modico quidem tempore conſiſtere ac ſeſe tueri reſpublicæ poſſunt. Ab iis ſtudiis profecti ſapientiſſimi in Græcia viri, Lycurgus, ac noſter ille Solon, & vtroque antiquiores Minos ac Rhadamanthus; tum Zaleucus & Charondas, de quibus ſæpius audiſtis, ciuitates ſuas prudentiſſimè temperarunt: ac leges eiuſmodi tulerunt, quibus ad hoc tempus in Græcia viuimus: quarúmque ab vſu & opportunitate ne veſtræ quidem (ô Romani) leges abhorruerunt. Meminiſtis enim, opinor, quod & ex huius, vt audio, Catonis libris, & ex aliis hiſtoriis accepiſtis, Legiſlatores olim veſtros, cùm ſtabilire rempubl. ac certis legibus adſtringere cuperent, legatos per Græciæ ciuitates quinque miſiſſe, vt ſingularum ritibus inſtitutíſque cognitis, ex omnibus vtiliſſima quæque

corrogarent. Ergo & quæ tum ab illis in hanc vrbem allata ſunt, libenter accepiſtis, iiſque hactenus eſtis vſi; neque aut minùs iſta congruere vobis, aut liberis hominibus indigna eſſe dicere poteſtis. Quînam igitur conſentaneum iſtud eſt, (Patres Conſcripti) quæ à philoſophia multa & ingentia commoda cepiſtis, ea permagni à vobis æſtimari, & in ſummo haberi pretio: philoſophiam autem ipſam, à qua vtilitates illæ profectæ ſunt, tam acerbè reprehendi, & abiici; vt ne nobis quidem ipſis impunè per vos vti illa liceat?

Ac pro philoſophia quidē ſummatim hæc à me dicta ſufficiant. Quòd ſi moleſtum id vobis eſt; nos & ad ciues diſputare veſtros, & noua in hanc vrbem inſtituta transferre; eáque de re cùm patrias leges euerti, tum iuuenum animos corrumpi: ſatis èx iis, quæ de philoſophia diximus, intellectum illud opinor; nihil nos, cùm philoſophari apud vos aggredimur, nouum atque inſolens facere, ſed ea ſolùm, quæ maioribus olim veſtris, & huius ordinandæ reip. principibus atque auctoribus probata ſunt, aliquanto interuallo reuocare.

συνερανίσασθαι. καὶ δὴ καὶ τὰ ὑπὸ τούτων ἀποκομισθέντα ἡδέως δεξάμενοι ἐχρήσασθε μέχρι τοῦδε· καὶ οὐκ ἂν φαίητε, ὡς οὐχὶ πρέποντα ἢ ἄξια ἐλευθέρων ἀνθρώπων ἐστὶ ταῦτα. Πῶς οὖν εὔλογον τοῦτο (ὦ βουλευταὶ) ἃ μὲν παρὰ τῆς φιλοσοφίας ὠφελήθητε πολλὰ καὶ μεγάλα, περὶ πλείστου ποιεῖσθαι, καὶ διὰ τιμῆς ἄγειν τῆς ἐσχάτης· ἀφ' ἧς δὲ ταύτην ἐλάβετε τὴν ὠφέλειαν, τῆς φιλοσοφίας, πικρῶς οὕτω καταψέγειν, καὶ ἀποδιοπομπήσασθαι, ὥς τε χρήσασθαι ταύτῃ ἀδεῶς οὐκ ἐπιτρέπειν ἡμῖν;

Ἀλλ' ὑπὲρ μὲν φιλοσοφίας ἀρκεῖ καὶ ταῦτα ἐν κεφαλαίῳ εἰρημένα. Εἰ δὲ οὖν ἀγανακτεῖτε ὅτι πρὸς τοὺς πολίτας ὑμῶν διαλεγόμεθα, καὶ καινὰ εἰς τὴν πόλιν εἰσάγομεν τὰ ἐπιτηδεύματα, τὰ πάτρια τῶν νομίμων καταστρέφοντες, καὶ διαφθείροντες τοὺς νέους· οἶμαι μὲν ἐξ ὧν ἄρτι περὶ τῆς φιλοσοφίας διελέχθην, δῆλον εἶναι τοῦτο, ὅτι οὐδὲν ἐν ὑμῖν καινοτομοῦμεν, φιλοσοφεῖν ἀξιοῦντες, ἀλλὰ τὰ τοῖς προγόνοις ὑμῶν, καὶ ἀρχηγοῖς τῆς ὑμετέρας εὐταξίας νενομισμένα πάλιν ἐπιφέρειν πειρώμεθα.

Πρὸς δὲ τούτοις τί ἂν ἔδει ποιεῖν ξένους ὄντας ἐν ἀλλοτρίᾳ ὑπὸ τῶν ἐπιφανεστάτων φιλοφρονηθέντας, πολλὰ ἐκλιπαρούντων μεταδιδόναι σφίσι τῆς παρ' ἡμῖν παιδείας, καὶ ἐντυγχάνειν ἡμῖν σχολάζουσι, καὶ περὶ τούτων διαλεγομένοις, ὡς οὐδενὸς ἄλλου ἐφιεμένων; πότερα ἀναδύεσθαι ἐχρῆν, καὶ φθονεῖν ἐκείνοις, ὧν κἂν τοῖς ἰδιώταις μεταδίδομεν, λόγον ἡμῖν περὶ τούτων διδόναι καὶ χαρίζειν ἀξιοῦσι; ἀλλ' οὐδ' ἂν ὑμεῖς φαίητε. τί γοῦν οὕτω πλημμελοῦμεν, ἢ ἀδικοῦμεν τὴν Ῥώμην; ἆρα γε καταστασιάζομεν τοὺς πλησιάζοντας; ἢ λόγους πονηροὺς διαδίδομεν; ἢ ἐπὶ μισθῷ συνόντας ἀργυρολογούμεθα; ἕτερόν τι τῶν μικρῶν ἢ μεγάλων ἐπ' αὐτοφώρῳ εἰλήμμεθα κινοῦντες κατὰ τῶν νόμων; ἀλλ' εἴ τις ὁπωσοῦν ἡμῶν ἔχει τοῦτο καταγινώσκειν, παρελθέτω δὴ, καὶ λεγέτω ὅ, τι καὶ βούλεται. ὑμεῖς δὲ χρήσασθε ὡς πολεμίοις ἡμῖν, καὶ τὰ ἔσχατα τιμωρήσασθε, μηδὲ διαίρειν ἀνάσχεσθε τὸ στόμα, ὡς ἀλιτηρίοις καὶ ἀποφράδας δή τινας. οὐ γὰρ πραττόμεθα,

Præterea quid nos homines peregrinos facere attinebat; qui in aliena regione ab ampliſſimis viris perhumaniter accepti, plurimùm ab iis rogaremur, vti noſtratem cum ipſis doctrinam communicare vellemus: cùm ſe id vnicè in votis habere dicerent, vt & nobiſcum agere per otium, & illis de rebus diſputãtes auſcultare poſſent? Num recuſare nos oportuit, & earum illis rerum inuidere copiam, quam ne priuatis quidem hominibus, qui de iis communem nobiſcum ſermonem inſtituere cupiãt, denegare conſueuimus? At hoc ne vos quidẽ ipſi faciendũ eſſe dixeritis. Quid nos igitur adeò peccamus; aut quã Romanæ ciuitati iniuriã facimus? auditores videlicet noſtros ad ſeditionem impellimus? aut pernicioſos reip. ſermones iniicimus? aut mercenariam ciuib. veſtris operã nauamus? aut eiuſmodi deniq. aliud maius minúſve cõtra leges facinus noſtrũ cõuictũ ac manifeſtũ tenetis? Verùm ſi quis iſtarũ nos rerũ vel leuiſſimè cõſcios & affines eſſe, probare poterit: prodeat ille tãdẽ, ac dicẽdi quę velit, poteſtatẽ habeat: vos autẽ hoſtiũ nos habetote loco; & vltima de nobis ſupplicia ſumite; ac ne hiſcere quidẽ, vtpote ſceleratos & execrãdos homines, ſinite. Nihil enim eiuſmodi

deprecamur, neque redargui nos conuinciq́ue recuſamus.

Quanquam quid in perſequendis iiſce cauſſæ noſtræ firmamentis tempus contero? Videte enim quàm ſimplex ſit ac iuſta noſtra ratio. Nam ſi ſuſpectus vobis eſt noſter ille in hanc vrbem aduentus ac diuturna commoratio; quid differtis amplius (P. C?) cur non ſubinde nos eiicitis: aut earum rerum, quarum cauſſa venimus, vti par eſt, compotes factos quamprimum in patriam remittitis? Neque enim ignoratis, noſtram hîc apud vos minimè gratam nobis ipſis moram hactenus fuiſſe; ac iamdudum, cùm ea re, cuius gratia miſſi fuimus, confectâ, diſcedere vellemus, nihil adhuc potuiſſe perficere. Nunc itaque poſtquam ſerò tandem vocari nos placuit, ac de noſtra cauſsâ cognoſci, moleſti eſſe deſinemus propediem, ac longiore iſthîc mora vos habere ſolicitos. Vbi primùm Senatuſconſultum à vobis impetrauerimus, ſtatim domum profecti Romam metu ac ſuſpicione liberabimus.

De iis verò, quæ inter nos & Oropios

οὐδὲ φθάσομεν τὸν ἔλεγχον.

Καί τοι τί ταῦτα περιεχόμενος τὰ δίκαια μακρὰν ἀποτείνω τοὺς λόγους; ὁρᾶτε γὰρ ὡς ἁπλᾶ καὶ δίκαια φθεγγόμεθα. Εἰ μὲν γὰρ διὰ φιλοσοφίας ἡμῖν ἡ πάροδος, καὶ ἡ κατὰ τὴν πόλιν διατριβὴ γίνεται, τί δῆτα μέλλετε, (ὦ Ῥωμαῖοι) τί οὐκ ἐκβάλλετε παραυτίκα, ἢ ὧν δεόμεθα, τυχόντας, ὥσπερ εἰκὸς, ἀποπέμπετε εἰς τὴν πατρίδα; ἴστε γὰρ δήπου ὡς οὐχὶ κατὰ γνώμην ἡμῖν ἐγένετο ἡ παρ' ὑμῖν διατριβή· καὶ πάλαι ἂν ἀπαλλάττεσθαι προθυμούμενοι, τέως ἂν χαίρειν πρὸς ὑμᾶς ἀφικόμεθα, διαπράττεσθαι οἷοί τε οὐκ ἐσμέν. ἐπεὶ δὲ ὀψέ ποτε ἐκαλέσατε ἡμᾶς, καὶ περὶ τῶν ἡμετέρων διάγνωσιν ποιεῖν ἀξιοῦτε, οὐκ ἂν ἐνοχλοίημεν ἔτι, οὔτε πράγματα παρέχοιμεν ὑμῖν τοῦ ἐπιδημοῦντες· ἀλλὰ ἅμα τῷ τῆς βουλῆς ψήφισμα λαβεῖν, οἴκαδε ἐπανελθόντες τοῦ δέους ἀπαλλάξομεν, καὶ τῆς φιλοσοφίας τὴν Ῥώμην.

Περὶ δὲ τῶν πρὸς τοὺς Ὠρωπίους ἡμῖν

ἀμφισβητουμένων, ὃ καὶ τῆς πρεσβείας κε-
φάλαιον ὑπάρχει, ἀκούετε (ὦ βουλευταί)
ἃ διὰ βραχέων μέν, ἐπεὶ οὕτω κελεύετε,
ἀληθῶς δὲ ξυνέτεμον. Ὡς γὰρ τῇ ἡμετέρᾳ
πόλει πρὸς τοὺς Ὠρωπίους ἡ δίκη ἐγένετο πε-
ρὶ χωρίου δή τινος, οὗ πάλαι κρατούντων
ἡμῶν οὐ δικαίως ἀντεποιήσαντο· πολλὰ μά-
την διαδικασάμενοι πρὸς ἀλλήλους, τε-
λευτῶντες δὴ διαιτηταῖς ἐπετρέψαμεν τοῖς
Σικυωνίοις τὸ πρᾶγμα, τίμημα ἐπιγρα-
ψάμενοι τοῖς ἁλοῦσι πεντακοσίων ταλάντων.
Ὡρισμένης δὲ τῆς ἡμέρας, καθ᾽ ἣν ἀπ᾽
ἀμφοῖν ἔδει ξυνελθεῖν τῶν πόλεων, καὶ τὴν δί-
κην εἰσιέναι, κατὰ τοῦτον μάλιστα τὸν καιρὸν νο-
σήσαντος τοῦ παρ᾽ ἡμῶν κεχειροτονηθέντος τῆς πό-
λεως συνδίκου, καὶ ἀπαντᾶν κατὰ τὰ ξυγκείμενα
οὐκ ἔχοντος, προσκαλεσαμένων τῶν Ὠρωπίων,
καὶ ἐκκλητευσάντων, ὑπομοσάμενοι καὶ ἀνα-
βάλλεσθαι τὴν δίκην ἀξιοῦντες, οὐδὲν ἠνύσα-
μεν, ἀλλὰ καταψευσαμένων τῶν Ὠρωπίων,
ὡς δῆτα φυγοδικούντων ἡμῶν, ἐρήμην ἑά-
λωμεν, καὶ τίμημα πεντακοσίων ταλάντων

contro-

controuerſa ſunt : quod & legationis noſtræ caput eſt , audite quæſo (P. C.) quæ vt breuiſſimè , (quoniam ita iubetis) ſic veriſſimè complectar. Lite enim nobis cum Oropiis exorta , de cuiuſdam poſſeſſione loci , quem nobis olim obtinentibus , iniuſtè ſibi vendicabant; poſt crebras & irritas altercationes , tandem arbitros ex compromiſſo Sicyonios delegimus , quingentorum talentorum interpoſita ſponſione; quâ, qui cauſſa caderent , tenerentur. Conſtitutâ die , ad quam vtrimque adeſſe Legatos, & cauſſam agere oportebat , cùm ſub idem tempus , qui à nobis communi ſuffragio miſſus erat ciuitatis ſyndicus in morbum incidiſſet , neque ad condictum ſiſtere ſeſe potuiſſet , citantibus nos & vadantibus Oropiis , tametſi dilationem cum iureiurando poſtularemus , nihil omnino profecimus : ſed Oropiorum mendacio circumuenti , tanquam deſerto vadimonio , ab arbitris damnati ſumus , & quingentorum talentorum

pœna mulctati. Hæc ita, vti dictum eſt, geſta fuiſſe, teſtes habeo Thebanorum ac Lacedæmoniorum plurimos, qui tum forte apud nos verſati ſunt, quos, ſi ita vobis viſum fuerit, adducemus. Qui quidem cùm certiſſimè explorata habent omnia: tum quòd neutram in partem propenſiore ſtudio ſint, digni ſunt, quibus fides à vobis habeatur. Hoc inter nos, Oropióſque (P. C.) litis & controuerſiæ caput eſt: de quo cùm vos prouocandos, & Hellanodicis omnibus, ac Pylagoris anteponendos eſſe duxerimus, etiam atque etiam rogamus, vti rei geſtæ veritatem diligentiùs inquirere ac perſcrutari velitis: vtique vos infelicium Athenarum, ac bellorum pridem ſumptibus exhauſtarum, miſereat, quæ ſi tam grandi ære mulctatæ fuerint, funditus euerſæ ſunt, neque vnde iudicatum ſoluant, extricare poterunt. Hactenus de vtroque criminis genere, tam quod noſtra priuatim, quàm quod ciuitatis totius intereſt, diximus (P. C.) quantum breuiſſimè ſimpliciſſiméque potuimus:

καταδεδηλητήμεθα. ὅτι δὲ ταῦτα οὕτως ἔχει, καθάπερ εἴρηκα, πίστιν ἕτοιμός εἰμι παρασχεῖν, μάρτυρας ἔχων πάνυ πολλοὺς τῶν παρ᾽ ἡμῖν τότε ἐπιδημησάντων Θηβαίων καὶ Λακεδαιμονίων, οὓς παραλαβόντες παραστησόμεθα, αἴ γε τοῦτο καὶ ὑμῖν ξυνδοκῇ, ἅπαντα μὲν ἀκριβῶς ξυνειδότας, τοῖς δὲ οὐδετέροις μᾶλλον ἢ τῶν ἄλλων σπουδάζειν, ἀξιοπίστους τυγχάνοντας. ταῦτα δή ἐστιν, ὦ Ῥωμαῖοι, τὰ πρὸς τοὺς Ὠρωπίους ἀμφισβητούμενα, περὶ ὧν ὑμᾶς ἐπικαλεσάμενοι, καὶ τῶν παρ᾽ ἡμῖν Ἑλλανοδικῶν, καὶ Πυλαγορῶν προτιμήσαντες, ἀνακρίνειν τε καὶ ἐξετάζειν τὸ ξυμβὰν ἀκριβῶς ἀντιβολοῦμεν, οἰκτείρειν τε τὰς δυστήνους καὶ πάλαι τοῖς πολέμοις κατατετρυχωμένας Ἀθήνας, αἳ τοσοῦτοι προστετιμημέναι τὸ ὄφλημα φροῦδοι οἴχονται, παντάπασιν ἀποροῦσαι, καὶ οὐκ ἔχουσαι ὁπόθεν ἐκτίσουσι τὴν καταδίκην. Εἴρηται δὴ πρὸς ἀμφότερα, ὦ βουλή, καὶ λόγος ὑμῖν ἀποδέδοται τῶν τε ἰδίων καὶ δημοσίων ἐγκλημάτων, ὡς ἐξεγίνετο ἡμῖν βραχύτατά τε, καὶ ἀφελέστατα.

ὑμέτερον ἂν εἴη τουτουῒ τοῦ ἔργον περὶ τούτων καθ' ὑμᾶς αὐτοὺς βουλεύεσθαι, καὶ σκοπεῖν, ὅπως δὴ τῶν τε Θεῶν ἕνεκα, καὶ ἀμφοτέρων ἡμῶν, ὡς ἀδεκάστοις προσήκει κριταῖς, τὰ βέλτιστα καὶ ξυμφορώτατα γινώσκοιτε.

veſtræ iam partes erunt, de iis apud vos decernere, diligentérque prouidere, vt, quod & ad Deos immortales, & ad ambas litigantium partes attinet, quod optimum eſſe, & expedire maximè videbitur, id, pro eo ac ſinceros iudices decet, de hac cauſſa ſtatuatis.

DECII TRIB. PLEBIS aduerſus Marcium Coriolanum, in Senatu,

ORATIO XVIII.

Ex Dion. Halicarn. LIB. VII. A. V. CCLXIII.

QVANTVM mihi pro hac in vos æquitate moderationéque, periculi atque inuidiæ paratum ſit, cùm ex ſumma in veſtrum ordinem populi offenſione, tum heſterna illa collegæ noſtri acerrimi hominis ac vehementis actione, coniecturam capere poteſtis. Quod eo quidem grauius & acerbius eſt, P. C. quòd quicquid ea mihi res moleſtiæ & calamitatis attulerit, id merito aliquo meo commiſſum ac prope arceſſitum videbitur. Etenim quem mihi magiſtratum Pop. Rom. ad defenſionem libertatis ſuæ, ac depellendas iniurias veſtras mandauerat, eo veſtri cauſa propemodum abutor ad illius offenſionem libertatis & iniuriam. Itaque ſic tanquam partium deſertorem ac transfugam, ſuſpectum me eſſe populo, ac ſummum in odium ac diſcrimen addu-

ci neceſſe eſt. Sed de me ipſo quidem ego videro. Vos P. C. ſi, quam à vobis veritatem ac conſtantiam cùm ordinis veſtri grauitas, tum iuriſiurandi religio poſtulat, eam in hodierna cauſa ac conſultatione præſtiteritis; erit ſanè cur nec huius me erga vos ſtudij ac conſilij pœniteat: & eandem in poſterum à noſtris humanitatem atque æquitatem affuturam ſperetis. Quanquam hoc, quod à me modò condonatum vobis ac remiſſum eſt, video eſſe eiuſmodi, vt obtineri à vobis ſæpiùs, ſine ruina aliqua ciuitatis occaſúque nequeat. Quod enim aliud vinculum ſtabiliendæ continendæque reipubl. eſt, quàm iuris ac legum non ad cuiuſque arbitrium expoſita, ſed perpetua ac conſtans auctoritas? Quas quidem ſi, vt cuique parum commodæ atque opportunæ fuerint, ita commutare ac derogare liceat, eò res paulatim adducetur, nullum vt libertatis in nobis, nullum reipublicæ veſtigium ſuperſit. Pudet dicere P. C. mea hoc eſſe culpa & ignauia, vobis auctoribus ac pæne cogentibus, commiſſum; vt ſanctiſſima ciuitatis inſtituta, præclariſſimæ ſacratiſſimæque leges, pulcherrima omnium ordinum conſenſio, omnia religionum atque auſpiciorum iura tollerentur.

Quid enim modò agimus? aut quò veſter ille cœtus ac conſultatio pertinet? Id nimirum quæritur; æquúmne ſit, hominem ferociſſimum, hoſtem patriæ, publicæ libertatis inimicum, intolerabilem tyrannum ad ciuium ſuo-

rum iudicium ac legum diſceptationem atque arbitrium deduci. Quaſi verò nihil ante hunc diem ea de re conſtitutum lege ſit: aut, vt ea maximè deſit, non ſua quemque ratio quid tempori, quid æquitati conueniat, apertè commoneat. Num enim ignorari poteſt P. C. quid ante paucos annos auctore Valerio, homine & amantiſſimo patriæ, & ordinis veſtri facilè principe, & Conſule, vnà nobiſcum decreueritis; ſi quæ à patriciis immiſſa in plebem iniuria atque impoſita foret, eam vt publica actione perſequi ac prouocare ad populum liceret? Hac te igitur lege, C. Marti, reum apud populum facio. Quid hæres? quin me vltro ſequeris? cur non te ciuibus tuis ac populi iudicio permittis? cur tu vnus omnia repagula legum, omnia pudoris atque officij iura perfringis? Age verò perfrica frontem. Aude id negare noſtri ordinis viris eſſe conceſſum. Legem illam reſcinde ſi potes. Quî enim id facere dubites, cuius turbulento ac nefario dominatu conuulſa ac violata ſanctiſſima lex, & ſacroſanctæ poteſtatis auctoritas contempta? Obſecro te, Tarquini, quouſque demum ſpiritus illos tuos patimur? Num inficiari potes, te ex lege eſſe ad populum à tribuno plebis citatum? venire te noluiſſe? violaſſe maieſtatem populi? miſſos à te apparitores noſtros, vi ac telis à ſatellitibus tuis partim diſiectos, partim verberibus ac vulneribus affectos? Hæc tam ſuperbè, tam atrociter, tam crudeliter in libera ciuitate geſta, quî tandem homo auda-

ciſſime tuebere? Appellari te à Tribuno contra ſenatus voluntatem non licuiſſe? &, quod modò M. Minutius vir ornatiſſimus in concione dixit, nihil ſine huius ordinis auctoritate ferri ad populum oportere? Eſto ſanè; fecerit hoc parum prudenter, ac cum nonnulla tua iniuria populi magiſtratus. Quod tandem ciuis fuit ac priuati hominis officium? Illicóne arma capere? illicò ad vim ac ſeditionem, eáque quæ in perditis ciuitatibus extrema ſunt, decurrere? Nunquámne legeras, aut audieras, pleroſque olim in Græcia homines extitiſſe, qui iniuſtè à ciuibus ſuis damnati, honeſtè perire mallent; quàm per vim ſe ab eorum manibus atque inimicorum ſuorum atrocitate defendere? Quæro à vobis P. C. manum mihi plebeio homini ac priuato M. Minutius Conſul iniici iubet; ſiſti me ſibi propter falſas quaſdam ſuſpiciones ac criminationes imperat. Quid facio? Num ad vim repentè ac certamen venio? tumultúmne ac ſeditionem comparo? aut publici imperij miniſtros contracta ſatellitum manu ac telis ſummoueo? An cùm leges & iura propoſita omnibus ſint, eorum potiùs æquitatem expecto? duci me ad Conſulem patior? iniuſtam à me vexationem ac calumniam depello? Quid eſt quod hac tandem in re faciendum putetis? Profectò, ſi rectè animos veſtros noui, quiduis potiùs quàm vt ad hæc perdita ac nefaria conſilia veniatur. Tametſi quid ita demum diſputo; quaſi temerè tibi à Tribunis denunciata dies fuerit? Quid

enim in ea actione inconſideratè? quid non ritè atque ex ordine factum? Expectari, inquit, ſenatus auctoritas debuit. Quis tandem exitus contentionum atque iniuriarum reperiri poterit; ſi facere omnia vobis pro voluntate ac libidine veſtra liceat: perſequi iudicio vos ſine conſenſu veſtro atque auctoritate non liceat? An cùm tibi regnum quoddam in hoc ordine conſtitutum videam; cùm te domi foríſque ſtipatores corporis tui, miniſtri & ſatellites poteſtatis ambiant, deturbari ex hac arce dominatúque tuo ſine alienis copiis putem poſſe? Sit ſanè in his rebus, quæ nondum legibus definitæ ſunt, habenda decreti veſtri iudiciíque ratio: vt nulla de re antè ad populum feratur, quàm eius auctores ac diſceptatores fueritis. In eo quidem, quod dudum vobis auctoribus lege pulcherrima ſtatutum ac confirmatum eſt; quid toties vobis moleſtiam ac negotium facimus; aut interpoſitis decretis veſtris publici conſenſus vim ac religionem minuimus? Vtrum tandem, ſi quis media de plebe pulſatum ſe à patricio atque iniuria violatum queſtus ſit, ei nos aditum ad concionem ſine interpellatione ſenatus, tribuni plebis dabimus; iidem vniuerſæ plebi ſuapte in cauſa, ſummáque iniuria ſua, negandum putabimus? Iniqua ratio, & cùm ab humanitatis ſenſu, tum grauitate moderationéque veſtra nimis aliena, quod in ſingulis ciuibus valet, hoc in omnibus itidem non valere: plúſque vnicuique noſtrûm in legibus ad priuati iuris impetrationem,

quàm ad publici defenſionem toti ciuitati præſidij eſſe poſitum. Quid ego, inquit, tantopere deliqui, cur me deferri à vobis oporteat? Primùm hîc tibi ego non dico: dicam ibi vbi opus fuerit. Iniuriam facis. De hac aliàs ſi videbitur: ſequere me modò, ſi vllum crimen eſt; vt excuſes: ſi nullum eſt; vt te vel ſuſpicione liberes. Non facio, inquit. O hominem non ferendum! Tu ne iubenti quidem populo morem geres? Reſiſtam etiam cogenti: atque illius in me impetus meorum ſatellitum præſidio diſcutiam: quiduis denique agam potiùs, quàm vt me eorum iudicio ſubmittam. Hoccine P. C. ciuile atque humanum facinus eſt? Hoc vel tu, Minuti, tuâ in causâ faceres, quod in aliena modò minimè tu quidem probas, (noui ego animum tuum) ſed neſcio quo pacto tamen, quòd aliter facere non audes, diſſimulas? Sed ſi accuſandi tui cauſa quænam ſit, aut crimen aliquod tuum quæritur, Marci: parúmne abs te multa dicta factáque in plebem atrociter ac contumelioſè tulimus? Quid ego nefaria illa tua conſilia? quid imbutas acerbitate omni ac communi libertatis odio voces? quid coïtiones illas, ac factiones? quid intolerabilem faſtũ? quid regios illos ſpiritus conquerar? quæ ſi omnia hiſce parietibus tegerentur: ſi non publicè in apertam contumeliam noſtram atque ignominiam erumperent, ne ſic quidem ſtante republ. ferri liberis ab hominibus deberent. Nunc cùm non modò in ſenatu, ſed in foro ac concione, in ciuium oculis perditus ille furor,

& immanitas bacchetur; cùm te tua iuuentute ſtipatum volitare in campo; vexare plebem, probris ac maledictis laceſſere, pulſare magiſtratus, minari interitum libertatis, armorum tuorum & infiniti illius dominatus terrorem oſtendere quotidie videamus, taménne diutiùs quàm neceſſe erit, ſuſtinebimus? Mitto cætera. Nolo enim hæc, quæ ad illum locum ac iudicium reſeruo, agere in præſentia vehementiùs. Nunc P. C. quoniam iurati hodie in hac cauſsâ conſediſtis, pro communi pace ac reipublicæ ſalute, quæ vobis eſſe debet cariſſima, ſic breuiter agam vobiſcum. Hominem iſtum, à quo multis ſe & acerbis iniuriis vexatum & violatum queritur P. R. per me ſibi ad iudicium depoſcit: nec eum iam vt improbum ac nefarium ciuem; ſed vt crudeliſſimum tyrannum atque importuniſſimum hoſtem coërcendum arbitratur. Hunc tametſi ne conſultis quidem vobis, inuitis etiam ac repugnantibus, rapere quamprimùm ac per vim adducere potuerim, quo ſine tumultu ac ſeditione res tota conficeretur, poteſtate legis vti nolui. Itaque magno meo cum periculo feci, vt vel iniquiſſima in re veſtrum me ad arbitrium atque auctoritatem adiungerem. Nunc quid de hac cauſa, déque eo homine conſtituatis, etiam atque etiam conſiderandum vobis cenſeo. Neque enim ſi quid fauore, potentia, artificio, opibus ac copiis in eo contra fidem ac iuſiurandum admiſſum erit, mediocri veſtro periculo peccabitur. Errat quiſquis facilè ſperat im-

plicatum illum ſeueritate legum, ac ſcelerum ſuorum laqueis circumretitum, ſine ingenti aliquo malo ac calamitate reipubl. vlla vi poſſe ac ratione expediri. Eò nimirum deducta res eſt, vt ſi quam iniquitate veſtra ciuitati huic ac libertati noſtræ plagam inflixeritis, ea non ſimultate atque offenſione modò, non diſtractione ordinum, non ſeceſſione plebis; ſed cruore atque interitu ciuium, ſed vtriuſuis occaſu, ſed communi incendio ac clade reipubl. miſerrima expiari poſſit. Ceſſimus P. C. acerbitati veſtræ atque iniuriæ, ceſſimus, quoad ea non vnius hominis; ſed magiſtratuum; ſed totius veſtri ordinis fuit. Num iidem priuati iſtius contumaciam & inſolentiam diſſimulare poterimus? Vitam mehercule nobis potiùs quàm hominem illum iudicio noſtro ac ſuffragiis eripueritis.

Poſtremò vt ab illa legis atque æquitatis contentione diſcedam: fingite hoc ab vtriſque gratiæ ac beneficij loco poſtulari; populo, vt iudicare ſibi de ciuis ſui capite liceat; iſto ipſo, vt per vos iudicium effugiat: vtrius tandem rationem habebitis? Nondum opinor in ea republ. viuimus, in qua plus contra leges vnius libidini ac potentiæ; quàm in iiſdem tuendis totius populi ſtudio ac conſenſioni tribuatur. Quòd ſi me tamen opinio iſta, quam de vobis habeo, fefellerit; ſi in illo quoquo modo retinendo obfirmati nìmiùm ac peruicaces fueritis: cauete ne non tam illius ſubleuandi ſtudio vehementes fuiſſe, quàm pro inſitâ in plebem

maleuolentiâ cauſſam aliquam ſimultatis veſtræ quæſiſſe videamini.

DE PACE CARTHAGINIENſibus poſt victum Attilium danda,

DELIBERATIO.

A. V. DIII. *L. Cæcilio Metello, C. Furio Coſſ.*

LEGATORVM CARTHAGINIENſium de pace impetranda, ad Senatum.

ORATIO XIX.

SI vt pleriſque mortalium P. C. ita vobis expreſſa de victis confeſſio, mentio illa à nobis iniecta pacis videtur: nihil erit quod magnopere vel de tota hac legatione noſtra, vel de impetranda à vobis æquitate contendam. Sin probari iſtud poteſt, quauis potiùs re, quàm imbecillitatis conſcientiâ, aut virium deſperatione, in eam nos rationem inductos: ſapientiæ veſtræ erit, quid vtriſque communiter ex-

pediat videre; iuſtitiæ, nolle quod vniũs magno alterius damno interſit ambitiosè decernere. Quare hoc initio dicendi à vobis deprecor P. C. illud poſtulo, quæ à me dicenda ſunt, de ſe potiùs, déque vtriuſque ſtatu populi, quàm ex aliorum more, aut ſua cuiuſque fiducia ponderetis.

Bellum quatuordecim ferè iam annos terra maríque geritur P. C. non longinquitate magis temporis, quàm viciſſitudine moleſtum. Hoc etſi perquàm graue nobis eſt: quid enim quod res eſt fateri dubitem? idem tamen & vobis non minùs difficile accidiſſe ſentio. Nec, ſi ſuperiora æſtimemus, tanta eſt hactenus illata reipublicæ noſtræ clades, vt non bonam illius partem viciſſim accepiſſe, poſtremò certè in Africâ victi à nobis ſuperatíque videamini. Quod non à me vel exprobrandæ calamitatis, vel arroganter oſtentandi noſtri cauſa dictum putatote: eò verò ſpectare, vt, quod antè dixi, non metu belli fractos, ſed communis boni deſiderio impulſos eò deſcendiſſe iudicetis. Satis ad hoc bellum ſuſtinendum vel animorum Carthaginienſibus, vel virium ſupereſt; necdum Deorum beneficio ad eam fortunam venimus, vt non ſine aliorum voluntate conſulere nobis, ac rebus noſtris prouidere poſſimus. Dicat aliquis: Quid vos igitur à nobis pacem poſtulatis? quò veſter ille in hanc vrbem aduentus? quò oratio pertinet? Si belli nondum pœnitet, cur arma deponitis? cur victorię ſpem ac gloriæ contentionem

abiicitis? Quærendum de illa conſilij mutatione fuerat tunc, cùm pace adhuc integra bellum vobis indiximus, cui vel honeſtiſſimè ſuſcepto quamlibet, dummodo tolerabilem, pacis conditionem arbitror præferendam. Nunc quod placere vtriſque deceat, prius à nobis eſſe tentatum, & concordiæ ac pacis ſtudio quod fieri ab alterutro oportuit, anteuertiſſe; id neque pudori ac dedecori nobis, neque admirationi cuipiam eſſe conuenit. Tam enim mehercule iſtud humanitatis noſtræ eſt, quàm in vobis eſſe conſtantiæ dicitur nullum ab armatis hoſtibus fœdus, nullum belli exitum poſtulare. Quod quidem cuiuſmodi ſit, nihil diſputo, neque ſeruire hac in parte conſuetudini veſtræ deforme imperio noſtro putabo; dum vos eam eſſe memineritis vtriuſque populi fortunam, vt ab vtro pax primùm impetrata fuerit, nihil admodum interſit.

Satis illud, opinor, eſſe debet, cùm ad purgandum legationis huius dedecus, tum ad prouocandam æquitatem veſtram; quòd non offenſione vlla fracti, non debellati à vobis, nondum in poteſtatem redacti; ſed integri atque incolumes pacem petimus. Etenim ſi victi obſeſſique legatos mitteremus: ſi humanitatem veſtram ac miſericordiam obteſtaremur: ſi vox illa deprecantium, ſi mulierum eiulatus, ſi puerorum planctus, communis ciuitatis mœror exaudiretur: credo dandum aliquid poſtulatis noſtris putetis: nec reſtituere in integrum collapſas res noſtras, ac vel in ſocietatem recipe-

eipere dubitetis. Quod à vobis ſæpenumerò etiam hoſtibus factum iis didicimus, quibuſcum nullum antè fœdus, nullum ius ſocietatis fuiſſet. Sed cùm eo tempore petamus, quo nondum belli pigere omnino neceſſe ſit, & ij petamus, qui antiquo vobis fœdere atque amicitia diu coniuncti fuimus: quid agimus P. C? Poſſumus aliquando ab armis diſcedere? Poſſumus cædi ac ſanguini ciuium parcere? Poſſumus ampliſſimas ciuitates, florentiſſima imperia, potentiſſimas reſpublicas à vaſtitate atque incendiis eripere? Poſſumus bellis depoſitis, ſine periculo, de publicis controuerſiis inter nos agere? Poſſumus ſanè. Liceat modò per vos: nihil erit in Carthaginienſibus moræ, quo minus ratio quædam inueniatur, quâ ad ſuum quiſque, nullo negotio, ſine cuiuſquam pernicie interitúque perueniat.

Omnium primò Siciliâ vobis, vnde illa belli fax erupit, cedere in perpetuum decreuimus. Non quo ad vos pertinere magis illa videatur. Sed vt, quandoquidem primi ad hoc bellicum incendium reſtinguendum accurrimus, caput ipſum malorum atque originem amputemus. Simul quoniam à vobis violati fœderis ac perturbatæ pacis arguimur; etſi id à nobis conſtanter refellitur; ſatius tamen eſt ficti criminis vel iniquas pœnas dependere, quàm vel minimam vobis criminandi noſtri occaſionem relinquere. Cetera inter nos eodem iure, quo ante hoc bellum fui-

mus, permutatis inuicem captiuis, inſtaurata deinde ſocietate ac fœdere tranſigemus. Ad hæc, Siciliæ inſularum adiicimus, quicquid toto Italiam inter ac Siciliam mari continetur. Nos quando ita fatum tulit, veteri poſſeſſione pulſi, incluſi litoribus noſtris, Romanos terra maríque dominantes videbimus. His ſi contenti eſſe poteſtis P. C. ſi vos eæ conditiones mouent, quibus nihil vt Carthaginienſibus inutilius, ſic P. R. amplius atque commodius eſſe poteſt, bellum iam nullum inter nos erit; totáque res à vi & armis ad otium ac concordiam deducetur.

Quanti à nobis Pop. Rom. ſocietas & amicitia facta ſit, animaduertitis; quam citra neceſſitatem vllam, nullo cogente, tanto cum reipublicæ damno imperiíque iactura compenſandam duximus. Quòd ſi adeò quiſquam iratus nomini noſtro, veteríque adductus odio, ferro perſequendas nihilominus iniurias arbitretur; ſi quis vſque eò Carthagini infenſus erit, nihil vt cum ſtante ea atque incolumi commune ciuibus ſuis eſſe velit; dicam quod eſt, non ſupplicibus præſertim, nec abiectis, dictu graue quidem, ſed ad mitigandam offenſionem veſtram aptiſſimum; hoc igitur dicam; abundè veſtro in nos odio eſſe ſatisfactum: ſatis, inquam, pœnarum vobis eorum ſanguine perſolutum, quibus auctoribus impulſi ad hoc bellum ſumus: quorum conſilio, auctoritate, dominatu pæne regio turbulentis illis temporibus in eas tempeſtates inui-

ta ac gemens Carthago præcipitata eſt. Nolite enim credere bellum illud ciuium omnium voluntate conflatum. Illi, illi, qui tum ſcelere atque audacia plurimum poterant; qui in ſenatu, in foro, in iudiciis infinitum ſibi dominatum pepererant: qui in perditorum atque egentiſſimorum hominum factione ac ſtudiis, (quos bonorum ſpoliis ac publicis direptionibus pauerant) regnum ſibi conſtituerant; illi, inquam (quæſo pro humanitate veſtra attendite) mœrentem ac detrectantem patriam, ac quiduis potiùs quàm extrema illa experiri conantem ad id bellum impulerunt. Horum ſi quod properati nimium belli crimen eſt; neque enim ſuſcepti omnino fateri poſſumus; ſcitote culpa eſſe commiſſum. Ciuitas ipſa pacis ac quietis appetens, cùm maximè ab iis motibus ac tumultibus aliena ſemper fuit; tum nouiſſimè, vbi eâdem quam excitatant flammâ conſumptis iis ſeditionis facibus, paululum reſpirare cœpit, quamprimùm ad priſtini ſe fœderis ac ſocietatis veſtræ ſtudium erexit. Quamobrem tametſi nihil eo bello acerbiùs tulimus, habenda tamen eidem gratia eſt, quòd eius beneficio perditis ciuibus, quaſi onere quodam leuata atque è naufragio emerſa reſpublica portum tandem malorum ſuorum aliquem reſpexit: qui ſi hodie viuerent, legatos in hac vrbe nullos videretis. Ergo quæ paucorum furore peſtis excitata eſt, ſublatis auctoribus, ſopita per nos ab innocentium capite propulſetur.

Atenim ſuſpecta vobis Punica fides eſt. Plurimùm, mihi credite, intereſt ad impetratæ pacis fidem, per quos ea primùm impetretur. Qui ſponte, qui tuti ab iniuria veſtra pacem ab hoſte redimimus, tantis præſertim impendiis datam violaturi vnquam ſumus? Quid quòd perpetuitati cauiſſe Deorum aliquis, & vtriuſque fortuna populi videtur? Nihil enim erit quod iis, quas modò dixi, exterminatis ciuitatis noſtræ peſtibus, vllam inde diſcordiæ flammam emerſuram aliquando timeatis. Hanno nullus in nobis, nullus Annibal ſupereſt. Qui quidem morte ſua, licèt ſceleribus leuiores, at opportunas ſanè, nec hoſtibus magis optandas, quàm ciuibus pœnas dederunt. Vtriſque certè dederunt. Nam eorum alter in prælio à vobis interfectus; alter cruci à militibus ſuffixus: vterque incredibili bonorum gaudio ſublatus eſt.

Quanquam quid ita diutiùs diſputo? Violatúmne fœdus à nobis iri creditis? Vndenam verò futurum timetis? Antè enim initum violaſtis. Atqui ſi id à nobis vnquam commiſſum eſt, ſemel eſt certè commiſſum. Adeóne igitur, ſi peccatum ſemel à ſociis fuerit, nullus reconciliandæ gratiæ, nullus veniæ locus dabitur? Nihil erit quod vel delictum fatentibus, pœnáſque ſui ſibi criminis conſtituentibus lenitas veſtra ſuccurrat? Támne diſſimiles ſui Romanos repentè factos? Quoties cum Latinis ſociis repetitum à vobis fœdus eſt? Quoties in amicitiam Volſci, Æqui, Hetruſci re-

cepti ? Repetite annalium veſtrorum memoriam. Quàm illic ſæpè Campanis maiores veſtri, vos poſtremò Tarentinis ac Samnitibus pepercistis? Quibus nullum vnquam veſtri nominis infenſiorem hoſtem, pertinaciorem nullum habuiſtis; cùm attriti profligatíque, vix armis depoſitis, vix redintegrata pace, atrociores ac crudeliores inſúrgerent, nihílque ad nouos ſubinde belli conatus præter indomitum atque implacabile odium afferrent. Neque tamen aut pacem petentibus denegandam vnquam putaſtis: aut non in priſtina ſocietatis iura reſtituiſtis. Multati agro, coloniis receptis, leui tot ſcelerum piaculo perfuncti, quoad libuit, ad fidem Pop. Rom. amicitiámque receptum habuerunt. At herculè non portione agri, non oppido aliquo, ſed inſula tota, præſtantiſſimis vrbibus, amœniſſimarum poſſeſſionum iactura voluntarias Pop. Romano pœnas luimus.

Niſi fortè pluris vobis Latinus, aut Samnis, aut Tarentinus, quàm Carthaginienſis ſocius eſt: aut plus ab illo hoſte periculi, quàm à nobis infecta pace metuendum eſt. Quatuordecim iam annos cum populo Romano de imperio contendimus. Multos & maximos exercitus ſuſtinuimus. Victi à vobis aliquoties ſumus, vicimus nonnunquam. Cùm vos armis, viris, ſumptibus, innumeris copiis, infinitis claſſibus bellum vrgeretis, tot tantíſque conatibus non modò reſtitimus hactenus; ſed & Africa poſtremò tota ac litoribus noſtris expulimus.

Vt faciliora porrò belli huius reliqua ſint, quid dignum vobis pro tot amiſſis militibus, tot cæſis exercitibus, tot eximiis imperatoribus quæritis? Noui ingentes vobis eſſe ſpiritus; indomitum animi robur, pertinacem magis quàm vtilem fiduciam. Sed non & fortunam, perinde vt animos, fingere arbitrij veſtri eſt. In ſecundis vtriuſque populi rebus pacem dare, amplum vobis ac ſpecioſum eſt. Quòd ſi alterius interitu ac ruina ſancire dignitatem veſtram inſtitueritis; tam conceſſum à nobis, quàm ſperatum victoriæ fructum euertere vnius diei fortuna poteſt. Quæ cùm alias incertas habet horribiléſque vices, tum nuſquam minùs quàm in bello communíque Marte reſpondet. Vtrinque acies, vtrinque vincendi ardor, vtrinque arma corporáque ſunt. Quinetiam exulceratis repudiatæ pacis offenſione animis multò quàm antè obſtinatiùs potentiúſque reſiſtemus. Non ſola vobis ſuſtinenda Carthago erit: nec vnius reipubl. opibus æſtimare belli huius magnitudinem debetis. Quot infeſtæ Romanis nationes, quot infidi ſuſpectíque populi ſunt, totidem hoſtes habebitis. Circumſpicite Africam inde Libyámque vniuerſam; illinc Hiſpaniam, Galliam, Italiæ mehercule partem, quam ægrè in fide veſtra ac poteſtate retinetis. Horum omnium arma nobis atque auxilia, ſimulatque excluſi à vobis fuerimus, adiungemus. Per tot ciuitatum excidia, tot funera gentium, per orbis terrarum ſtragem atque

vaſtitatem Romanis de Carthaginienſibus quærenda victoria eſt. Hoc erit imperij veſtri pretium, neſcio crudelius an inuidioſius, apud humanum genus futurum. Quanto faciliùs tutiúſque ſine ferro, ſine cæde ac ſanguine, ſine periculo eò peruenire modò poteſtis? Optanda à Diis immortalibus bona mens, vt quoad licet, & in integro poſita res eſt, in certa poſſeſſione decoris atque imperij potiùs quàm incerta & atroci ſpe alienæ calamitatis hæreatis. Nos quidem quicquid in nobis fuit, cumulatè præſtitimus: & ſiue violati fœderis noxam, ſiue fatalem patriæ fortunam, ſiue Deorum in nos iracundiam procurare pro eo ac fieri æquum eſt, ſtuduimus. Vos quid renunciari Carthaginienſibus placeat, ſeu pacem, ſeu bellum decernitis, quæſo pro veſtra ſapientia etiam atque etiam conſideretis.

M. ATTILII REGVLI à Carthaginienſibus miſsi contra Legatos

ORATIO XX.

NIHIL ab inſita genti ferocia ſuperbiáque legatorum abhorruit oratio. Pacem ita poſtulatum venerunt, vt & nobis fortunam noſtram bellicóſque caſus exprobrarent; & ſuas ipſi vires non tam magnificè efferrent, quàm earum nobis minas ac terrorem obiicerent. In quo mihi non ſolùm importuni, ſed & ridiculi videbantur. Tam enim vecordes erant, ſecum vt tota oratione pugnarent. Victos ſe eſſe, aut à nobis ſibi admodum metuere conſtanter negabant: & iidem tamen cùm ſupplices pacem rogabant; tum iniquiſſimis eam conditionibus magnáque imperij iacturâ comparare ſe dicebant. Quorum alterum niſi victi à victoribus petere non ſolent: alterum, tanto rerum ſuarũ damno idipſum aſſequi cupere, ſi nihil à nobis grauius extimeſcerent, profectò ſtultiſſimum eſt. Mitto illud quale ſit dicere, quod vnà & violatum à ſe fœderis ius nolebant, & perfidiæ tamen ſuæ vltrò ſibi pœnas imponerent. Sed

ineptiſſimorum hominum inconſtantiam atque vanitatem perſequi, habebit & ipſum fortaſſe ſtultitiæ aliquid: cùm vos iſtud præſertim ſatis agnoſcere illorum ex oratione potueritis. Quòd de pace nobiſcum facienda, atque inſtaurando fœdere miſſos ſe eſſe dicunt, hoc verò diligenter attendere veſtra, P. C. plurimùm intereſſe arbitror.

Eſt ipſum quidem pacis nomen per ſe iucundum, res cùm optanda bonis omnibus, tum ſalutaris, ſed mihi tamen præter ceteros expetenda, qui quantum in bello miſeriæ atque ærumnarum ſit, præ ceteris ſum expertus. Ego itaque, cui pace plurimùm opus eſt; quem belli tædere imprimis conuenit; cuius fortunarum omnium, libertatis, ſalutis, vitæ ratio in pace concordiáque poſita eſt (miraturos vos intelligo, quid de me exiſtimaturi ſitis dubito.) Ego inquam Carthaginienſium captiuus, nuper ex ſquallore, vinculis, carcere productus, pacem cum Carthaginienſibus fieri veto. Rogo vos P. C. ſi cui auditu graue, vel, à Marco Attilio præſertim, dictu incredibile videatur, bonam id in partem accipiatis quod dicam, & non antè, quàm de tota re diſputauero, cuiuſmodi ſit iſtud exiſtimare velitis. Cùm dixero, tum ſi vobis parum mea oratio probabitur, quod è republ. eſſe videbitur, ſtatuite; ego ab auctoritate veſtra non recedam.

Equidem ſi vel honeſtè à vobis deponi poſſe bellum; vel ſine reipublicæ atque imperij detrimento pacem cum hoſte fieri; vel omnino

ſaltem fieri poſſe crederem: id vt conſilij vobis caperetis magnopere hortarer. Sin ego & ſummo dedecore coniunctam eam pacem eſſe, & ab imperij noſtri rationibus abhorrere: ſi denique coagmentari penitus non poſſe planum fecero; quid erit quod vltrà legatos audiendos putemus?

Grauis eſt vobis P. C. ex quo de imperio ac gloria cogitare cœpiſtis, impoſita perſona: magna prorſus ac neceſſaria dignitatis ſuſtinenda ratio. Non illud ſolùm prouidendum, quod priuatim vnicuique: dicam liberè; ne illud quidem quod reipublicæ quoquomodo expediat, tenendum eſt: illud imprimis ſpectandum; quæ ſit noſtris de rebus exterarum quoque gentium, quæ mortalium omnium exiſtimatio futura. Qui nunc ſuſpenſi belli præſentis expectatione, quem res exitum habitura, quóve inclinatura tantæ moles amplitudinis ac potentiæ ſit, experiri cupiunt. Ita porrò affecti ſunt, itáque ſentiunt omnes: penes quam ciuitatem victoria certaminis huius ac contentionis fuerit, ſummam in ea poteſtatis ac dominatus omnium rerum eſſe oportere. Iam pace inter nos coniuncta, quidnam pleroſque de republ. veſtra, ac de huius exitu belli iudicaturos cenſetis? Audierunt multos iam annos multiplici à noſtris euentu geſtam in Africa rempubl. fuſas terrâ maríque ingentes Carthaginis copias: profligari in Africa bellum potuiſſe, niſi poſtremo ictu quodam inſperatæ calamitatis repreſſa in ſeſe victoria conſtitiſſet.

Quæ tum eo cladis noſtræ nuncio accepto hominum de nobis iudicia fuiſſe credibile eſt? Ceſſuróſne repentè Romanos? At molliùs ſaltem ſegniúſque perſecuturos? An ita potiùs cogitaſſe, itáque locutos eſſe veriſſimile eſt? Nunc demum P. R. ſe virtus illa proferet: irritatus eâ ignominiâ multo quàm antè fortior ac terribilior exurget. Vlciſcetur ſeſe tãdem; nec priùs deſiſtet, quàm ſuſceptum poſtremo hoc conflictu dedecus hoſtium cruore diluerit. Si bene eorum animos noui, aut funditus corruent ipſi, aut magna internecione Carthaginienſium nomen extinguent. Hiccine tum de nobis ſenſus hominum? hæc cogitatio? hi ſermones fuerunt? Ego ne aliter quidem ſuſpicari hoſtes ipſos compertum habeo. Nec id verò obſcurè ſuo illo facto declarant. Qui enim legatos de pace miſerunt; qui ſponte Siciliâ ac pleriſque inſulis ceſſerunt; qui id antè non fecerunt: ſignificarunt profectò exulceratos & offenſos animos noſtros plus ſibi aliquanto metus ac terroris attuliſſe.

Vos igitur, P. C. minui apud hoſtes ac ſocios P. Romani dignitatem ſinetis? Vos inueteratam de huius ordinis conſtantia ac fortitudine opinionem euelletis? vos ſiniſtris hominum rumoribus traduci virtutem veſtram patiemini? Non priùs denique, quàm vlla mentio pacis fiat, hærentem adhuc nomini veſtro maculam delebitis? Maiores noſtri ſi quando à Volſcis aut Latinis victi de pacis conditionibus interpellarentur; tum demum admittere

ſolebant, cùm victis iis penitúſque ſuperatis acceptum ab illis dedecus plagámque repoſuiſſent. Iidem verò poſt Caudinam illam luctuoſam reip. tempeſtatem, cùm à victoribus Samnitibus inuiti leges pacis accepiſſent, quo ardore? quo impetu? qua pertinacia nefarium fœdus magna hoſtium ſtrage vindicarunt? Quid nuper proximo bello, cùm à Pyrrho aliquot præliis fracti eſſent? Sæpiúſne miſſos de pace legatos, & oblatam regis amicitiam repudiarunt? Creſcentis tum erant illa reip. tempora, ac quædam velut incunabula ciuitatis: nec de imperio gloriáque cum exteris, ſed de ſalute ac libertate cum finitimis certabant. Nondum ad eam amplitudinem prouecta, tamen quid in tanta imperij maieſtate faciendum foret, ſuo iam tum poſteris exemplo monſtrabat. Quam quidem vos hereditatem nominis, & honoris patrimonium, non minùs quàm alterum illud opum & potentiæ augere, retinere certè multo magis debetis.

Hoc verò tempore, P. C. non pace modò nihil eſt, ſed pacis mentione ipsâ periculoſius. Quis enim non intelligit, ſimul atque auditum nomen pacis ac legationis erit, magnam tota Italia animorum inclinationem futuram? Non tardiores ac molliores ſocios ſpes illa pacis efficiet? Non ab armis colonias retardabit? Non delectus celeritatem morabitur? Profectus nuper ad ſupplendas legiones Conſulum alter eſt. milites per municipia ac colonias imperati; deſcripti commeatus; ornata claſſis; ex ordine

omnia parata. In tam maturis, tam opportunis rebus omnibus, ecce tibi repentè de pace legati. Cur tam ſerò? Cur non antea? Septimus iam ab illa Sicilienſi clade menſis agitur. Toto illo tempore quid actum à Carthaginienſibus eſt? Tandiu ſeſe domi continuerunt, donec ingentem tota Italia apparatum fieri, nouóſque exercitus conſcribi, maioríque quàm anteà mole rerum, vrgeri à nobis bellum audierunt. Tum demum legatos mittunt. Palámne hoc ad retardandos impetus noſtros viréſque debilitandas iniiciunt? Non pacis aut legationis conditionem, ſed moram belli ſcitote eſſe quæſitam. Si vos aut renouandum cùm illis fœdus cenſebitis, aut de bello omnino dubitabitis, vniuerſorum hominum ſtudia, quæ diuinitus incitata modò ſunt, langueſcent ac concident. Nunquam mihi credite, ſi præſentem opportunitatem neglexeritis, futurum tempus eſt, quo commodiùs certioríque cum ſpe bellum comparetis.

Quid? pacem igitur cum Carthaginienſibus fieri nolo. Non vtique pacem nolo; ſed vincere omnino antea volo. Volo inuſtam reipublicæ labem abſtergere, vlciſci ſanguinem ciuium; clariſſimorum virorum nefariam cædem, fortiſſimorum imperatorum crudeliſſimam necem perſequi volo: qui Carthaginienſium inſidiis ac perfidia circumuenti, vt nobis optima in cauſa Deorum fiduciam ac ſpem victoriæ: ſic illis vltrices ſui ſanguinis furias atque inexpiabilem noxiam reliquerunt. Atque vtinam

hoc maximè omnes tempore viuerent! Non ſegniùs profectò oſtentatum ab hoſtibus fœdus auctoritate ſua refutarent, quàm iiſdem armatis conſilio ac virtute bellica reſtiterunt. Nam quòd à Cæcilio Coſ. viro præſtantiſſimo ac fortiſſimo imperatore nuper inſigni prælio victus in Sicilia Carthaginienſium dux eſt Aſdrubal, quæ res illos ad pacis fœderiſque memoriam longo interuallo reuocauit; errat quiſquis hac victoria putat recuperatum imperij decus; aut ſuperioris illius cladis notam atque infamiam deletam: niſi in Africa, in eo ipſo gradu, vnde ſumus deiecti, collocatos imperatores noſtros, átque in oculis Carthaginis volitare Romanos exercitus audierimus: niſi inſulas reliquas ac mare ipſum, cuius poſſeſſionem amiſimus, iterum præſidiis noſtris obtinebimus. Quàm vultis honeſtas cum hoſte pactiones facite; adhuc tamen priſtini in dedecoris veſtigiis ac reliquiis iacebimus. Mitto terrarum orbis imperium, quod iamdudum huic ciuitati Deorum immortalium fauor ac P.R. fortuna deſpondiſſe videtur. Quò vt ſtante adhuc Carthagine nunquam aſpirare poterimus: ſic ſublatâ è medio decoris huius æmulâ, victoriæ ille nobis fructus erit certiſſimus. Ad quem etſi quieſcente illa per innocentis vrbis excidium contendere, atrox & inuidioſum fuerit; poſtquam tamen violati ab iis ſæpiùs ac laceſſiti fuimus, nihil iam verendum eſt, vt ea re ſimul & famam præſtare, & conſulere imperio poſſimus.

Sed hoc ego, quia certa ſpe magis quàm re ipſa ad nos pertinet, impediri ea pace ac turbari vtcunque perferam : ſint modò talia cetera, ex quibus boni aliquid capiam, mali nihil pertimeſcam. Quænam igitur ea ſunt ? Sicilia (inquit) vobis cedimus. Accipio : ſi tanquam à te poſſeſſum; beneficij loco : ſin iam illud meum eſt ; ſi nuſquam in ea conſiſtere inuito me potes; ludibrij ac contumeliæ. Tu me in lucro ponere res meas iubes ? An nos dignos exiſtimas, quos tam apertè improbéque ludifices? Non illud dico. Sed ſine controuerſia obtineri à vobis patior. Iam hoc latronum beneficium eſt; ea ſe largiri credere, quibus pepercerint. Tametſi quæ poteſt in iis ipſis retinendis eſſe ſecuritas ? Quandiu enim claſſem habebunt : quandiu vagari impunè poterunt, nullum captandæ occaſionis atque inſidiandi finem facient, quo, ſimul atque opportunum erit, nauibus ac præſidiis Siciliam reliquáſque quas poterunt, recipiant. Nos interim perpetuo in metu inſidiarum ac tuendi ſolicitudine verſabimur. Nam quòd Siciliam, ceteráſque vobis inſulas remiſerunt ac pacis mentionem attigerunt: quo id potiſſimum conſilio fecerint, cognoſcite. Vident callidiſſimi homines, quod iamdudum affectant, noſtrum hoc imperium ſuis ſe viribus expugnare non poſſe. Sentiunt nos proxima illa offenſione ſtimulatos, & recenti hac Sicilienſi victoriâ alacriores redditos, omni ope ad ſeſe obruendos atque euertendos incumbere; non poſſe hunc noſtrorum impe-

tum ſuſtineri. Quare ita apud ſe ratiocinantur; Relinquenda Romanis Sicilia, quam recuperare non poſſumus: omittendæ ceteræ omnes inſulæ, quarum cuſtodia & moleſta nobis eſt, & frequentibus præſidiis vires noſtras atque exercitus diſtrahit. Hoc illi beneficio illecti ab armis atque vlciſcendi ardore refrigeſcent. Nos interim claſſem ingentem comparabimus; elephantos alemus, delectus totâ Africâ in ſupplementum habebimus: tum collecto in vnum robore, quo minor ſuſpicio ſit, ab Italia bellum auocabimus. Hiſpaniam primò, cuius magna pars in ditione noſtra eſt, aggrediemur. Inde Gallis aut in poteſtatem redactis, aut ſpe præmiorum conciliatis; per eos, ſui generis omnes, qui Italiam incolunt, ad defectionem ſollicitabimus. Ita breui, ingenti atque inopinato incendio Romam opprimemus. Facile erit veteres hoſtes cùm auctoritate noſtra, tum priuatis odiis adductos in huius belli ſocietatem trahere. Interim legatos mittemus: pacem ac fœdus poſtulabimus: quorum fidem commodis noſtris, ac rei gerendæ opportunitate metiemur. Hæc ego, P. C. moliri iam pridem illos, atque hoc imperium occultis cuniculis oppugnare, partim non dubiis auctoribus, partim coniecturâ, ac certis indiciis compertum habeo. Idque adeo legatorum oratione patefactum eſt: qui ſi à vobis quod vellent, non impetraſſent, Gallorum auxilia ac totius Italiæ adiungere ſibi in animo eſſe dixerunt.

Quàm

Quàm eſt præterea in eorum conditionibus illud abſurdum, nullam de bellicis ſumptibus mentionem ab iis eſſe factam! Pacem enim à nobis vtique flagitant: finire bellum cupiunt: hoc primi ſcilicet intulerunt. Æquúmne itaque eſt præſtari mihi belli ab iis impenſas omnes? An ego quoties ita illis viſum fuerit, ærarium exhauriam? tributa conferam? infinitos ſumptus faciam? Mihi H S millies ante hoc bellum in ærario fuit: haud minore ſumma ex priuatorum bonis contributa, omnia in bellum illud tuum contuli. Quò me ab armis tuis defenderem, quò tuas iniurias repellerem, publicas priuatáſque facultates effudi. Nunc abſtinere me bello cupis? Reſtitue in integrum res meas. Redde quæ abs te in ſociorum prouinciis erepta; quæ populata flammis tuis; quæ pro redimendis captiuis à meis collata ſunt.

Atque hæc perinde diſputo, quaſi nos hæc vna res à pace ac fœdere retardaret. Atenim tametſi cumulatè ſeſe ea omnia facturos receperint; quod nunquam, opinor, facient; ne tum quidem pacem me auctore decreueritis. Quid ita? Quoniam nulla eſſe cum Carthaginienſibus pax poteſt: hoc enim de tribus, quæ initio propoſui, poſtremò dicendum eſt. Quæ poteſt, cum barbaris, cum perfidis, cum immaniſſimis hoſtibus eſſe conditio? Ij ſcilicet Carthaginienſes ſunt, qui plus quàm rebus ſuis neceſſe ſit ſocietatis iura tueantur? quos æquitatis, quos fidei, quos humanitatis ratio in offi-

cij religione contineat? Honeſtate ſcilicet ducuntur? reſpectum habent ad hominum famam? dignitati ſuæ exiſtimationíque ſeruiunt? Quarum rerum ne appellationem quidem norunt; nedum legibus & inſtitutis didicerunt. Quoties cum finitimis, cum externis, nobiſcum denique, datam atque obſtrictam iureiurando fidem ruperunt? Quibus nihil tam ſanctum, tam inuiolatum, tam religioſum eſt, quod non immanitas lædat, cupiditas violet, audacia perrumpat. Operæpretium eſt, ſi quis veſtrûm Carthagine fuerit, populi mores atque ingenia recordari. Quàm fœda illîc hominum colluuio! quæ ſordes! quod cœnum! quæ vbique perturbatio! quantus in publicis cœtibus furor! quæ in priuatis vecordia! quàm nil compoſitum! nil modeſtum! nihil ciuitatis noſtræ ſimile! Volitant in foro impuriſſimi mercenariorum greges; dominantur in concionibus; graſſantur in iudiciis; omnia ad effrenatæ plebis arbitrium, nihil prudenter, nihil conſideratè, nihil ex ratione legibúſque geritur. Iam in ſenatu, vbi grauitati conſtantiæque locus eſſe debet, pleraque raptim ac tumultuosè, non conſilio ac ſapientia, ſed vi ac paucorum gratia & voluntate tractantur. Quare quod poteſt cum iis fœdus eſſe perpetuum, quæ ſtabilis firmáque pax, qui ſimiliter atque in mari, quocumque furoris ac libidinis ventus impulerit, cæci ac præcipites feruntur? Sed paciſci nihilominus fœdus cum tam leui ac mobili ciuitate iuuet: quod poteſt huius eſſe fœderis vinculum? quod firmitatis

conſtantiæque munimentum? Fidem publicam interponent? Quam tum ſcilicet dederant, cùm bellum nobis denunciarent. Iureiurando ſe ac religione deuincient? Quam tum neglexerant, cùm per ſpeciem colloquij, Cn. Cornelium nefariè violabant. Atqui paucorum id fraude commiſſum; ciuitas ipſa innocens eſt. Itáne verò? Quorum conſilio ac ſcelere Lacedæmoniorum ille imperator, à quo ſum iniquiſſimo in loco ſuperatus, cùm in patriam rediret, eſt interfectus? O facinus non modò crudele, ſed & horribile & inauditum! Poteſtis ei vos populo fidei quicquam habere, qui in ſocios atque amicos tanto accepto beneficio, tam atrociter atque hoſtiliter ſeſe geſſerit? Qui cuius opera ab hoſtium telis, ab internecione ciuium, propè à leti faucibus ereptus fuerat, eundem victorem ac triumphantem perhonorificè dimiſſum, cùm laceram in nauem impoſuiſſet, per deſtinatos homines miſerrimo naufragio perdiderit? Nullius hoc Hannonis, nullius Annibalis; ſed publicum totius ciuitatis crimen eſt. Quo illi in hoſtes animo eſſe debebunt, ſi ſe commodi & vtilitatis aliqua ſpes oſtenderit, qui nulla alia re, quàm æmulatione gloriæ atque inuidia ducti, hoſpitem, liberatorem patriæ ſuæ, pænéque alterum vrbis conditorem, crudeliſſimè trucidarunt?

Hîc ego mihi à nonnullis audio funeſtam illam obiici paucos ante annos plagam ac calamitatem reipublicæ: quæri, quæ tandem

ſpes ſit, Romano imperatore ac conſule armis & caſtris exuto, tam forti exercitu deleto, exhauſto ærario, idoneos milites conſcribi, aut diutiùs bellum iſtud poſſe tolerari. De militum delectu atque ærario nihil dico: intellectum ex proximis conſulis litteris eſt, ſatis eſſe tota Italia ad id bellum militum ac pecuniarum collectum: vbique colonias omnes ac municipia ingenti cum alacritate omnia præſtitiſſe. De imperatoris calamitate hoc breuiter purgo: non eam viribus hoſtium, non ducis temeritate, non militum ignauia: ſed iniquitate loci, Carthaginienſium perfidia, peregrini ducis conſilio eſſe atque auſpiciis illatam. Deprehenſus per inducias in horridis atque aſperis ſaltibus, vbi explicare agmen vix poſſem, magis ſiccitate atque difficultate regionis, quàm armis ſum à Xanthippo Lacedæmonio ſuperatus. Quantum ad Carthaginienſes attinet inuicti ad extremum permanſimus. Quos omnes nauali prælio, tum multis expugnatis oppidis, poſtremò ſignis cum tribus fortiſſimis exercitibus collatis cecidimus. Verùm vt Carthaginienſium maximè virtute parta illa victoria ſit: itáne anguſto animo præditi? ita belli fortunæque ac communis Martis expertes ſumus, vt poſt tot victorias triumphóſque imperatorum noſtrorum, poſt recentem in Sicilia glorioſámque victoriam, vetere illa belli offenſione concidamus? An quia ſemel victi à Carthaginienſibus ſumus, ne iterum vincamur metuere debemus?

illos cùm toties victi, ſemel victoriam obtinuerint, non vinci iterum in Africa poſſe ſperabimus? Bene nobis ſperandum de diis immortalibus eſt; quorum in hac cauſa fidem ac religionem aduerſus perfidos ac nefarios hoſtes defendimus. Qui mihi recenti illius benignitatis ac victoriæ luce confirmare voluiſſe animos noſtros atque ad iuſtiſſimi belli perſequendas reliquias opem ſuam ac præſidium polliceri videntur.

Quamobrem cauete, per eoſdem illos Deos, cauete, P. C. ne circumuenti ab iis, quod felicibus auſpiciis bellum inchoaſtis, hoc cum infida ac turpiſſima pace commutetis. Hoc ego prædico vobis, hoc denuntio. Nullum cum ea gente fœdus, nulla ſocietas eſſe poterit. Dum arma in manibus habetis; dum vires integræ ſunt, animi etiam multo quàm antè fortiores; recuperate veterem reipublicæ dignitatem; atque eorum necem vindicate, qui pro ſalute imperióque veſtro, vt præcipua gloria ſua, ſic ſummo Carthaginienſium flagitio perempti ſunt. Magna agitur, P. C. hoc in bello cùm vniuerſi P. Rom. tum huius præſertim ordinis auctoritas atque dignitas: quam retinere, ſi turpiſſimam pacem feceritis, nullo modo poteritis. Agitur imperij ſalus, quod iampridem omni conatu delere atque euertere nituntur. Agitur ciuitatum omnium, prouinciarum, nationum, orbis denique terrarum de vobis exiſtimatio, quæ tota in huius euentu belli poſita, in perpetuum pe-

riclitatur. Hæc omnia in veſtro arbitrio poteſtatéque ſitum eſt, tueríne & conſeruare cum laude ac gloria, an abiicere ac repudiare velitis.

AVLI ATTILII CALATINI de pace Carthaginienſibus danda,

ORATIO XXI.

QVOD te, M. Attili! poſt diuturni ſquallorem temporis velut ab inferis reducem atque in huius ordinis lucem excitatum videamus, hoc & reipublicæ vniuerſæ gratulandum; & ſingulari in nos eſt Deorum beneficio conceſſum. Quis enim noſtrûm, ſtatim ac te in crudeliſſimorum hoſtium veniſſe poteſtatem allatum eſt, cùm patriæ communem hunc occaſum interitúmque non duxit; tum de vitâ tuâ ac ſalute deſperauit? Quos quidem hoſtes partim natura ipſa ad ſæuitiam & immanitatem finxit, diſciplina perduxit, domeſtica conſuetudo firmauit: partim tot tantáque à te impoſita vulnera ſic quaſi tetram atque efferatam beluam, in furorem ac deſperationem impulerant. Quare non poteſt ſine egregia aliqua Deorum in hanc vrbem voluntate eſſe fa-

ctum; vt qui te armatum paulò antè perditum ac profligatum cuperent, iidem victum & in poteſtatem redactum ſaluum & incolumem eſſe vellent. Sed cùm publicè tum priuatim alius eſſe poterit gratulandi locus. Hoc cuius hodierna primùm die cauſſa conuenimus, quoniam id à me ante omnia flagitari video, pro eo atque huiuſce loci & officij ratio poſtulat, paucis tamen complectar.

Ego te, Marce Attili, qualem in omni vita tua fuiſſe didiceram, talem ex hodierna tua oratione eſſe cognoui. Magno te ſemper animo præditum ac non minùs in aduerſis fortem, quàm in proſperis temperatum atque æquabilem credidi: nec diſſimilem te tui ex tam egregia animi magnitudine perſpexi. Qui enim tanta tua ac reipublicæ calamitate nequaquam territus, nihilo ſegniùs perſequendum bellum, nec vllam pacis mentionem admittendam putaſti; declaraſti profectò altiſſima te quadam mente eſſe præditum, quæ nullis caſibus infringi aut labefactari poſſit. Sed hoc, pace tamen dicam tua, nimis alieno præ te tempore tuliſſe; nec tam honeſta quàm inani gloriæ contentione ductus, parum quid è republ. imperióque noſtro eſſet, proſpexiſſe videris. Neque ego is ſum qui vtilitati potiùs quàm dignitati ſeruiendum putem. Sed hoc tamen video; nullam niſi in ſalua atque integra ciuitate dignitatem retineri.

Quanquam quid in ea pace turpe? quid Pop. Romani maieſtate minùs dignum? quid

ab huius grauitate ordinis alienum eſt? Equidem quòd ea iniecta hoſtibus mens eſt, vt hoc maximè tempore pacem à nobis peterent, id ſumma Pop. Romani felicitate factum arbitror. Quòd eas pacis conditiones proponunt, quibus ne victis quidem ampliores ferre poſſumus, incredibili Deorum immortalium in nos amori pietatíque tribuo. Quo minùs (P. C.) dubitare de ineundo hoc fœdere debetis; quòd præter ſpem expectationémque noſtram accidit, vltro vt ab infeſtiſſimis hoſtibus obiiceretur. Quid enim optare aliud ex illo bello poſſumus (Marce Attili;) aut quid, antequam hoc bellum aggrederemur, ſpe ac cogitatione præcepimus? an ſi tum Siciliâ non dicam cederet, ſed aliqua ſe eius parte contineret hoſtis; ſi infeſtare ſocios deſineret, nunquam arma caperemus: nunc poſtquam nihil in ea ſibi, vbi veſtigium ponat, reliqui facit; addit inſularum quicquid Italiam inter ac Siciliam toto illo tractu maris interiectum eſt; taménne incertam belli ſpem certiſſimis pacis commodis præferemus?

Neque verò adeò iſtud ſibi quenquam in animum inducere potuiſſe miror. Te miror, Attili, cuius, non dicam culpa (abſit hoc à me de tanto viro ſuſpicari) ſed ductu certè auſpiciíſque malè mulctati paucos ante annos fuerimus; omnibúſque rebus ornatiſſimos & inſtructiſſimos exercitus amiſerimus; eum tamen potiſſimum inuentum, qui belli acerrimus auctor & hortator eſſes. Téne hoc

quæſo conſilij cepiſſe, vt in quas nos anguſtias ſiue tuo, ſiue reipubl. fato paulo antè conieciſti, ex his emergere, tam commodè diuinitúſque data atque oblata occaſione, ſummo reipubl. tempore, non ſineres? Non hoc priùs animaduertiſſe, quantum tuâ illâ clade adiumenti ſit nobis ad hoc bellum ac virium detractum? quicquid roboris, quicquid ſpei, quicquid præſidij in noſtris exercitibus fuit, hac letali atque miſerrimâ plagâ concidiſſe? vt iam ſuppleri legiones atque exercitus conſcribi placeat, tironum delectus habendos, nouúmque militem ferociſſimis ac callidiſſimis hoſtibus obiiciendum eſſe? quid illud? exhauſto ærario, conſumptis vectigalibus, exinanitis prouinciis, tametſi iſtud ipſum aliquanto tempore liceat, etiámne molem illam impendentis belli tolerare diutiùs poterimus?

Atenim honeſtè niſi à victoribus diſſolui bellum non poteſt. Si infracti animo, debilitatíque arma depoſuerint; ſi cum dedecore; ſi iniquis conditionibus; ſi primi denique pacem impetrauerint. Sin rogati ab hoſtibus, multis & maximis commodis propoſitis, honeſtiſſimis rationibus inducti conſenſerint: eſt id non modò non infame, ſed & conſilij ac dignitatis pleniſſimum. Tu verò (Marce Attili) qua nos tandem ſpe ad hoc bellum inuitas? victoriæ? quid ſi nunquam vicerimus? quid ſi etiam turpiùs victi poſthac aliquando fuerimus? amplitudinis atque imperij? at hoc

non modò periculoſum, ſed & dubium atque incertum eſt. Cur non potiùs, quod tanto cum diſcrimine comparari à nobis iubes, id ſponte conceſſum, ſine armis, ſine metu ac periculo accipis? Meúmne igitur vt ab illis accipiam? tuum, inquis, M. Attili? quî potiùs quàm illorum? neque enim à nobis Siciliam æquius eſt, quàm ab illis obtineri; & vtcumque poſtea factum ſit, certè antequam nobiſcum contenderent, in eius poſſeſſione conſtiterunt. Quid? inſularum quicquid Siciliæ proximum eſt, non priùs obſederunt, quàm nos eò exercitus mitteremus? Et harum tamen omnium ſeſe ditione abdicant: quibus inuitis, tanta præſertim varietate belli ac viciſſitudine, ægrè eas in fide populi Romani retinere, ab hoſtium verò armis & incurſionibus defendere nullo pacto poterimus. Immo, inquit, & Carthaginem vnà delebimus. Vtendum nobis ea occaſione eſt, quoniam primi bellum intulerunt; eorum excidio ac ruina ciuitatis huius fortuna conſtituatur. Aſpera horribilíſque vox: neque à moribus ſolùm noſtris; ſed & omni cultu humanitatis abhorrens. Hæccíne amplificandi imperij ratio digna P. Romano; digna huius ordinis æquitate; digna maiorum noſtrorum virtute; digna huius inſtitutis diſciplináque reipubl. eſt? Hoc tu ſuadere nobis? huius auctor eſſe tam atrocis tam crudelis conſilij potes? non ita maiores illi noſtri, quorum tu exemplis abuteris. Qui cùm Italiam nondum haberent; cúmque multò

maior tuendæ reipubl. ac procurandi ratio imperij vrgeret, ſæpe ſocios iiſdem quibus antè legibus in ſocietatem atque amicitiam receperunt. Hæ enim domeſticæ artes erant; hac moderatione animi ac lenitate veriùs quàm armis ſtetere hactenus reipubl. opes; non ambitione ac præcipiti lubricáque dominandi libidine. Enimuerò cruentum atque atrociſſimum bellum, pacem honeſtè facere cùm poſſis, eligere, nefarium & inhumanum eſt. Tritum illud vt veriſſimum erat, ita in prouerbium abiit: *Mortales inimicitias, amicitias immortales eſſe debere*. Quanto iſtud magis cum potentiſſimis hoſtibus faciendum eſt, quorum præter cauſam, ſi æqua poſtulantibus defuerimus, etiam arma ac vires horrebimus?

Neque verò ita ſunt nobis omnia domi pacata ac tranquilla, vt non amicos potiùs reipubl. quàm hoſtes habere Carthaginienſes expediat. Vt à Gallis diſcedam perpetuo ac veteri hoſte; quorum nobis legati veriſſimum terrorem oſtenderunt; ſatis tu fidei aut conſtantiæ in reliquis Italiæ populis eſſe ſtatuis? illúdne præſtare audeas, occupatis eo bello ac diſtrictis nobis, nihil Samnites, Lucanos, Tarentinos, Brutios eſſe moturos? quid Campanos? quid Etruſcos? nihílne ab iis nouarum rerum metuendum cenſeas? ego ne Latinis quidem ſociis nimiùm confido, quin ſi malè iterum geſta atque afflicta reſpubl. fuerit; adiungere ſeſe hoſtibus noſtris, atque in libertatem redire conentur.

Nec illud me mouet; quod de Carthaginienſium perfidia commodum accidiſſe huic imperio narras, parum vt deinceps fidei execrandis hominibus habeatur. Quaſi nunc primùm ea ſint ciuitatis illius ingenia; ac non diu antè iis moribus atque ea mobilitate cogniti, pleroſque populos in ſocietatem quà vi, quà ſpe commodi atque vtilitatis adduxerint. Hoc enim vel maximè vinculo cùm priuatorum inter ſe neceſſitudines, tum ciuitatum ſocietates, multo arctiùs quàm honeſtate copulantur. Sit hoc tamen (inquit) aliis conceſſum. Idémne Pop. Rom. committendum exiſtimas, vt vtilitate aliqua ductus vel inhoneſtam, vel infidam ac minimè diuturnam pacem eligat? De honeſtate plura non dicam: quæ eſt eiuſmodi, vt etiam Appio illo cæco iudice auctor eſſe non dubitem: qui proximo bello paci cum Pyrrho faciendæ acerrimè reſtitiſſe dicitur. Quid enim in hac noſtra ſimile? erat tum in Italia cum ingentibus copiis Pyrrhus. Non admodum æquas pacis leges propoſuerat. Poſtremò Pop. Roman. amicitiam priuatim per legatos poſtulanti ita ab ſenatu denunciatum eſt: ante omnia, Italiæ finibus excederet: deportaret in patriam exercitum: inde ſi ita videretur, pacem atque amicitiam peteret. Ergo hæc omnia nobis cum Carthaginienſibus integra ſunt. Abſunt procul ab Italia finibúſque noſtris: pacem ex Africa, ex vrbe ſua, qui poſcerent, hûc nobiliſſimos ciues allegant. Dum nihil à me turpe, nihil non honeſtum, non vtile rationibus meis

auferant: de diuturnitate ipſi viderint. Ego me ita comparabo; ita ad omnes inſidiarum aditus obſeptum atque obuallatum tenebo; vt ſi quid occultè moliantur, tutus ab eorum iniuriis ſim atque conatibus. Etſi minimè quidem de pacis conſtantia dubitem: quæ tum firmiſſima eſſe ſolet: cùm eius, vnde potiſſimùm metuitur, magnæ in ea rationes ac neceſſariæ verſantur. Quòd niſi in eorum ita cauſa fuiſſet, nunquam tanto ſuo cum damno ac dedecore de ineunda pace cogitaſſent. Accedit & illud ad firmitatem pacis atque fidei, quòd non oblata vltrò à nobis; ſed magno ſtudio quæſita flagitatáque ab illis fuerit. Itaque nolite dubitare, P. C. oblatas à potentiſſimo hoſte conditiones pacis, ſaluâ & integrâ dignitate veſtrâ, diuturno ac periculoſo bello præponere: neque ceterarum ad eas quæ ſponte ab illis propoſitæ ſunt; id quod à nonnullis commemorari audio; mentionem vllam facite: quas neſcio an ſit illis accipere indignius, quàm nobis poſtulare fœdius atque iniquius futurum.

M. ATTILII DE CAPTIVIS non permutandis,

ORATIO XXII.

MAGNAS Diis immortalibus gratias habeo (P. C.) quòd eorum beneficio dignum tandem maioribus veſtris animum, dignum patriæ ſplendore, dignum ampliſſimi imperij gloria, me adiutore atque hortatore, cepiſtis. Cùm nihil eo vobis bello honeſtius futurum, tum ex animi ſententia breui ſucceſſurum confidere debetis. Hanc mihi ſpem partim veſtra virtus facit, partim Pop. Rom. fortuna, violatíque ab hoſte fœderis teſtes atque vltores Dij. Quibus omnibus ita tamen inniti par eſt, vt quàm maximè omni ex parte muniti firmatíque ſitis. Ac cùm alia ex maiorum noſtrorum inſtituto renouanda reipubl. præſidia; tum militaris imprimis ſancienda diſciplinæ cuſtodia eſt; ſine qua fortiſſimos plerumque exercitus ab ignauiſſimis facilè ſuperatos eſſe didicimus. Quid ad eam porro fulciendam ſtabiliendámque priſtinâ illa ſeueritate aptius? quæ tanta olim in hoc imperio fuit, vt ob eam vnam cauſam clariſſimi imperatores in filios ſuos atrociſſimè interdum animaduerterint: ſi illud atrox aut crudele videri

poteſt, quod cum paucorum iactura, vniuerſæ reipubl. bono eſt ac ſalute coniunctum. Ex eadem illud virtute profectum eſt, nulli vt vnquam ciuitati viliores captiui fuerint: propterea quòd non modò patria ſuâ, ſed ne luce quidem dignos; libertate certè prorſus indignos iudicarent, qui in hoſtium poteſtatem veniſſent; qui non vitâ priùs hoſti, quàm armis, caſtríſque atque ſignis militaribus ceſſiſſent. Ergo eo vobis vtendum exemplo cenſeo: nec eos ab hoſtium ſeruitute redimendos, in quam turpiter tradere ſeſe, quàm honeſtum vitæ exitum conſequi maluerunt.

Hîc mihi occurrat aliquis: non tua id culpa factum? non tu eius auctor conſilij fuiſti? certè ſi quid in ea re ignominiæ eſt, cui potiùs quàm imperatori tribuendum eſt? nihil hîc purgandus apud vos ſum P. C. nec deriuandi quicquam criminis gratiâ dicam. Vtcunque geſta res eſt, nequaquam me ab eorum cauſa ſegregabo, nec turpis facti auctoritatem defugiam. Ero igitur in hoſtium arbitrio ac poteſtate: quo minùs id moleſtè ceteri ferant: meóque exitio patriæ dedecus abolebo. Diſcant exemplo noſtro milites veſtri, nullum in acie, præterquam in virtute ac manibus, eſſe perfugium. Documento erimus generi humano, pugnantibus Romanis aut victoriam aut necem eſſe propoſitam: mediam inter eas fugam nuſquam niſi ad hoſtes patere. Qua quidem opinione nihil vel ad terrorem hoſtium efficacius, vel ad noſtrorum animos excitandos præſentius

fieri poteſt. Aut herculè vbi in prælio paulò acriùs ex aduerſo pugnabitur, plena extemplo fugientibus caſtra ac dedentibus ſeſe hoſti videbitis. Multum, mihi credite, ad inſequentis belli magnitudinem refert, de veſtra virtute hoſtium exiſtimatio. Sed ſi quem tot ciuium iactura moueat; intelligat non eos eſſe ciues deſiderandos, quorum niſi diſſimiles ceteri fuiſſent, nullum iam imperium haberemus.

Quanquam quid ego milites meos, quid meipſum accuſo? Vt enim optimi ſimus, quanto in pluribus maiorem animi virtutem hic noſter caſus efficiet? Quid quòd recuperandis nobis haud minor, vel ſimili, vel maiori etiam fortitudine captiuorum numerus reſtituendus eſt; & quidem ciuium, ac longè domi ſuæ non modò nobilitate ſed & virtute atque ætate florentiſſimorum? quibus non tantum eſt patriæ, quantum illorum in patria deſiderium. Quod adeò ex iſta legatione cognoſcere poteſtis: quæ omnis, eius vnius rei maximè cauſa, ſuſcepta eſt: cùm exhauſtis ſuperioribus præliis principibus iuuentutis, ac reipub. flore ſublato, nihil præter mercenarios milites, infidum genus ac mutabile, quod opponerent veſtris exercitibus, haberent. Retinendi igitur illi ſunt, quorum iacturâ, magna fit Carthaginienſibus virium atque animorum deceſſio. Non enim illi ſupplere è ciuibus ſuis exercitus ſolent; nec, quæ apud nos eſt, viget illic iuuentutis diſciplina, ac militaris exercitatio.

Ignaui

Ignaui maxima ex parte domi atque otioſi reſident: bellum verò per Afros ac Numidas aut Hiſpanorum conducta auxilia, paucis ad imperatoris præſidium admiſtis ciuibus gerunt. Horum non pœnitendum numerum miſſum huc à me in vinculis tenetis. Quos quidem nolite quæſo cum inutili atque ætate potiſſimùm confecto milite commutare. Eiuſmodi enim bona pars captiuorum ſumus. Reliqui quorum ætas optanda reipubl. foret, aut interfecti in acie, aut in caſtris à victore oppreſſi ſunt. Nec, opinor, ægrè boni ciues ferre debebunt, ſi quod vltro periculosâ ac diuturnâ obeundâ militiâ quærunt, pro patria vt vitam ſuam profundant, id ſibi tandem matura iam ætate, ſumma cum laude contigerit. Ac plus ſanè tanto hoſtibus præſidio detracto, iacturâ noſtrâ patriæ boni attulerimus, quàm erepti atque incolumes cum armis prodeſſe poſſemus. Poſtremò de ceteris videritis. Mihi in patria manere nulla conditione certum atque decretum eſt: nec, vt illos maximè redimendos cenſueritis, quenquam mecum de Carthaginienſibus captiuis permutabitis.

CAII MARCII CAPTIVI in Attilium,

ORATIO XXIII.

NIHIL in tota actione vel laborioſius, vel admirabilius eſt, quàm quod contra M. Attilium M. Attilij mihi apud vos cauſa ſuſcipienda eſt. Eripiendus à me vel inuitus exitio eſt, in quod, velut deſperatione quadam ac furore, ſeſe ſuóſque rapere præcipites conatur. Quid tantum de te commeruimus, imperator? aut quid tandem militibus tuis ſuccenſes? Si non acerbo aliquo fato, ac rerum humanarum viciſſitudine victi à Carthaginienſibus ſumus; ſi non per ſummam perfidiam oppreſſi ac circumuenti periimus; cuius ea culpa fuit? noſtráne an imperatoris? at neutrius certè fuit. Neque te, imperator, accuſare poſſumus; nec tu nobis, opinor, habere potes, quod obiicias; præter communem exitum ac calamitatem. Fuit hæc luctuoſiſſima quidem, ſed fatalis reipubl. plaga; quam deuitare nullius neque conſilij, neque virium, aut animorum fuit. Non æquo Marte ſuperati ab Carthaginienſibus campo ceſſimus. Sed pro hoſte, fraus, perfidia, violata religionis fides: pro nobis, loci iniquitas, re-

gionis inclementia, inopia rerum omnium, repentina ex hoſtium incurſione trepidatio fuit. Neque tamen tot vndique incommodis oppugnati priùs ſuccubuimus, quàm magna exercitus parte deleta, in fœda noſtrorum ſtrage, inter cadauerum aceruos feſſi ac languentes ab recentibus atque integris obruti oppreſsíque ſumus.

Vtinam hæc quæ apud vos ago, P. C. Carthagine, apud ipſos hoſtes agerem, vt victoriæ ſuæ, ſic virtutis noſtræ teſtes optimos! Septem & quadraginta millia in acie ſtetimus. Cæſa ex iis triginta; fuga elapſa duo; quindecim cum imperatore capta. Cùm neque vlla per confertos hoſtes erumpendi vſquam facultas daretur; nec auctore præſertim duce nefas arbitraremur, tot millibus ciuium trucidatis, aliquem ei cladi Romanum militem ſupereſſe. Qua in re ſi crimen vllum admiſſum eſt: ſi flagitioſum creditur, dedere ſe hoſti infeliciſſimi exercitus reliquias, potiùs quàm ad internecionem profligari: Primùm acerbum eſt, duriores vos in veſtros ciues, quàm in hoſtes videri: nec, quod humanitati tribuitur, quàm pauciſſimorum hoſtium ſanguine victoriam comparare; id in ſuorum præſertim fortiſſimorum virorum calamitate experiri malle. Deinde neque hoc qualecumque eſt, abſque eius auctoritate factum, cui non parere ſine ſummo ſcelere non licebat.

Scio te, M. Attili, ſi quis horum modò interroget, quid in ea deditione ſpectaueris,

haud cunctaturum, quin id ciuium tuorum caritate feciſſe fatearis. Parcendum nimirum tot militibus, ac fortunæ cedendum fuiſſe: ídque adeo multo eſſe conſtantius, quàm belluarum more in aduerſa tela procurrentium, in voluntarium ruere miniméque neceſſarium interitum. Præclarè. Quid tu repentè igitur conſilium mutas? Cur quos cædi hoſtium gladiis noluiſti, eoſdem per ſummam crudelitatem & ignominiam ciuium ſuorum decreto iugulas? Redde nobis illius temporis atque cladis acerbam ac luctuoſam ſpeciem. Refer eò ſigna ac copias tuas. A tergo atque fronte barbarorum agmina illa circunſtent. Verſemur in noſtrorum cruore atque cæde; & conſtrato cadaueribus campo, nuſquam fixo gradu conſiſtere atque ordinem tenere poſſimus. Cur me illinc abſcedere: cur arma tradere imperas? Sine moriar cum armis potiùs, quàm abs te ſummo cum dedecore paulò pòſt interficiar. Ad hoc ego abs te reſeruor, vt cùm in hoſtium manus venero, indignum me iudices, quem mei ciues redimant? ſuum quiſque in rebus aduerſis animum gerit: me periculum magis famæ ac dedecoris metus, quàm vitæ deſiderium ſolicitat. Nos enim ſi redimere nolueritis, non virtute ac magnitudine quadam animi deſtituti in hoſtium manu; ſed veſtro iudicio damnati ac reiecti eſſe videbimur.

Non me præterit, quàm viles in hac vrbe captiui eſſe ſoleant. Sed maiores tamen noſtros audio pretio ſe patriámque ſuam ab Gallis

aliquando redemiſſe. Quin etiam nuper bello Tarentino legatos de redimendis captiuis ab ſenatu miſſos eſſe meminimus. Non erant tum difficiliora tempora; nec inopia militum maior; nec terribilior hoſtis inſtabat. Neque verò tam cæde atque exitio ciuium, quàm pauore infamis vtriuſque fortuna temporis fuerit. Noſtra illa calamitas, P. C. vera reipublicæ clades fuit. Secundùm quam tot ſponte non minùs egregios ciues quàm ſtrenuos milites hoſti prodere, hominum erit nihil de humanitate communi; parum de reipublicæ periculo ac belli huius magnitudine cogitantium. Pacem nécne cum Carthaginienſibus facturi ſitis, neſcio. Delectus tota Italia habere Conſulem audio; diligentiúſque, quàm vnquam antea, omnium ætatum ordinúmque milites conſcribi. Quanta redemptis nobis futura eſt ad eum apparatum acceſſio? quatuor enim fermè in nobis legiones habebitis, magnáque ex parte veteranorum. Quos cùm cetera omnia, tum recens hoc libertatis beneficium promptiores pro patria, & alacriores reddiderit.

Ad extremum, ſi nullo noſtro merito adeo ſæuire in nos volueritis, cui nos hoſti relinquitis? Si vincula noſtra, ſi catenas, ſqualloréque militum cernatis: nihilo fœdius ſpectaculum ſtrata illa toto campo Romanorum triginta millia videantur. Vix medius fidius dici poteſt, crudeliórne ac ſuperbior, an auarior ſit hoſtis, cuius in poteſtate nunc ſumus. Qui quidem deſperata ciuium libertate, capitúmque noſtrorum pre-

tio, qua tandem in nos crudelitate ſæuiet? Obſecro vos, P. C. per coniuges, liberóſque veſtros, hanc à miſeris ciuibus, quod nullo veſtro damno feceritis, exitij peſtem auertite. Te M. Attili, per fidem erga te noſtram obteſtor, ſi nullo noſtro vitio in communem hanc fortunam ſumus inducti; liceat ab ea per te tandem ciuibus tuis emergere. Redde nos patriæ, cognatíſque noſtris ac liberis, téque tuis ipſum reſtitue. Quorum omnium ſolicitudinem, lacrymáſque in huius templi aditu intueri potes. Hi vos orant, P. C. atque obteſtantur, ſuæ vt orbitatis ſolitudiníſque miſereat: vt pro ſuo vniuſcuiuſque in propinquos ſenſu, quanto in mœrore luctúque ſint, intelligatis: eundem, quia ſoli ſecundùm Deos immortales facere id poteſtis, vel ſui, vel noſtri, vel patriæ cauſa prohibeatis.

ATTILII VXOR ad coniugem.

ORATIO XXIV.

ATTILI, per ego te hanc dexteram, pérque communes liberos precor; mitte obſtinatum illum in exitio animum; téque ad pietatem, miſericordiam, reuoca. Hem, quò te ſciens volénſque præcipitas? Quid

te patriæ repentè, tuorúmque, aut vitæ adeò pœnitet, hanc vt ſponte crudeliſſimis atrociſſimíſque ſuppliciis tute eas perditum? At ego ſolos hoſtes pertimueram: ſolos infeſtos arbitrabar. Quoties pro tua ſalute vota ſacráque ſuſcepi, quoties Deos Deáſque de te ſolicita fatigaui; hoc vnum precabar; qui tibi malum atque exitium molirentur, eos vt malè perderent, peſſundaréntque. Infelix! pro te ego contra te Deos obſecrabam. Ego coniugem meum execrabar. Tu me impiam ſceleratámque, coniux, facis. Quid crudelius vrbe capta vaſtatáque experiri potui? Si te in acie cæſum; inter conferta tuorum cadauera iacentem audirem; grauis ille quidem, ſed vnus ſimpléxque mœror cruciaret. Dolerem quod ſæpe dolent aliæ; quod alterutri euenire aliquando neceſſe ſit. Hic quàm acerbus, quàm multiplex, quàm non vſitatus de te dolor eſt! Nihil de viri morte conquerar. Non acerrimos illos cruciatus, tormentáque carnificum. Vt hæc aſperrima ſint, ferenda mihi tamen vtcunque ea eſſent, ſi vitari non poſſent, ſi neceſſariò, ſi maximè ab hoſtibus pati iſta cogerêre. Nunc me iſtud exanimat: hoc luctu, dolore, mœrore enecat: per te iſta tibi potiſſimùm comparari; inuitos adigi hoſtes; neminem te ferociorem eſſe infeſtiorémque tibi. Ergo quantum in crudeliſſimis ac barbaris hoſtibus eſt, habeo te incolumem reducémque coniugem, ſaluis omnibus fortunatíſque fruor: nihil quod doleam ſupereſt. Per te vnum obtinere iſta prohi-

beor. O infelicem ſortem meam! Ego hoc vnquam ſperarem, meliores mihi hoſtes futuros, quàm coniugem meum? Orant ecce, ſuppliceſque petunt, ſuis vt tete manibus eripias. Tibi quantum in ſe eſt, libertatem patriámque reſtituunt: idem abs te poſtulat patria; ciues obteſtantur. Saluum te omnes præter te vnum eſſe cupiunt. O fallaces inanéſque ſpes meas! Ego poſtquam legatum te mitti in patriam acceperam, videre iamdudum ac complecti geſtiebam: ſtationes itineris quotidianas diéſque numerabam. Quanto vtilius carere te poteram? abfuiſſes vtinam! nec cladis tuæ potiùs quàm pacis ac fœderis conciliator atque interpres veniſſes: adhuc te tua illa Carthago teneret; quam mihi, quam patriæ, quam Diis penatibus, quam liberis præfers: cuius quantum in te eſt, ciuis eſſe non dubitas. Amabò, quæ iſta conſtãtia eſt? Non furorem atque inſaniam veriùs dixeris? Si vlciſci mehercule hoſtes placet, quî minùs quàm iugulandis tot ciuibus potes? Cur non viuus id potiùs ac liber aggrederis? Fruſtra barbaros Pœnos exiſtimabam. Fruſtra iactari illorum feritatem audiebam. Parcunt illi ſaltem ciuibus ſuis. Quanto crudeliores Romani eſtis; qui ne vobis quidem ipſis parcitis? Sed ſi ſæuire in ſe, perinde atque in ſuos, virtutis eſſe creditur: ſi reuocare ab ea amentia nullius te lacrymæ precéſque poterunt: nihil incaſſum querendo tempus conteram: ſumma hæc votorum meorum erit. Aſpice liberos & infelicem coniugem: fratres adiice, cognatóſque tuos.

Age dum tu iſtos omnes, priuſquam hinc proficiſceris, ferro confice; tolle generis tui reliquias. Mihi quidem cur vitam eripere dubites? Superſtes tibi ſcilicet eſſe ſuſtineam? Fac tamen ſuſtineam. Non mihi quauis morte grauior aſpectus erit lucis atque patriæ? Qua fronte? quo vultu matronarum luctum ſqualloremque perferam; quarum per te coniuges vita ac libertate ſpoliantur? Non toties emori cupiam, quoties mihi per vrbem gradienti ſordidatum puerorum agmen occurret, te tuóſque deteſtantium? Audire mihi iam matrum omnium voces ac querelas videor: illam à me parentem ſuum, hanc coniugem, fratrem alteram, alteram natos repoſcentem. Viden' hanc? per eius coniugem tuus olim parens captiuus periit: per illum parente, fratre, liberis caremus. Ita ego omnium onerata conuitiis, diríſque expoſita, tanquam communis patriæ lues ac peſtis incedam. Non tanta mihi libido viuendi eſt. Sequar te vel inuitum, Attili, voluntarij comes interitus, exitiíque particeps. Siue tu in ergaſtulum compingeris, ſiue in crucem tolleris, quæcunque te illic manet, eadem carnificina ſubeunda eſt. Non quemadmodum ſexu ita animo conſtantiáque vinci abs te me patiar. Nec te quidem fortiùs ſed honeſtiùs ſanè mortem oppetam: cùm, quæ tibi in hac cauſa maximè deſunt, meam illam aut verecundia ſit, aut neceſſitas excuſatura. Tuam verò quî probare tandem patriæ ac poſteris potes? Quæ vt turpitudinis quàm minimum habeat, ineſt in ea cer-

tè acerbiſſimæ crudelitatis ſuſpicio. Si is es, qui eſſe debeas, nón fruſtra ego lacrymas precéſque conſumpſero. Experiri tamen, quod vnum ſupereſt, libet, quantum apud te liberorum tuorum aut ſquallor, aut gemitus poſſit. Adeſte filij, patríſque dum licet oſcula petite: expugnate lacrymis cum veſtris; quem niſi omni ope retinueritis, nunc poſtremum hoc videbitis.

ATTILII AD CONIVGEM.

ORATIO XXV.

FRVSTRA obfirmati in ſententia animi conſtantiam lacrymis veſtris emollire contenditis (tu coniux, vos liberi!) Satis hactenus vobis Attilius vixit. Moriendum nunc patriæ eſt. Nunquam me tam eſſe veſtrum agnoui, quin plus illi debere me atque obſtrictum eſſe vellem. Sinite eò me committam, quò reip. ſalus atque imperij dignitas vocat. Sinite poſtremam hanc vobis hereditatem gloriæ, ac patrimonium nominis mei relinquã; quo nullum præſtantius dari à me, accipi à vobis poteſt. Non ſi ego debellatis Pœnis, triumphalibus quadrigis Capitolium cum inſigni illa laurea inuehar: ſi coronatorum militum pompa, omnium plauſu & acclamatione proſequente, captiuos ante me duces traducam; glorioſiorem de hoſtibus victis, quàm de me mo-